

CONSTITUTIONES
SYNODALES
FERRARIENSES.

CONSTITUTIONES
SYNODALES
FERRARIENSES

Sub Eminentissimo, & Reverendissimo Domino,

D. THOMA

Divina Providentia Episcopo Prænestino S. R. E. Card.

RUFO

S. FERRARIENSIS ECCLESIÆ, APOSTOLICÆ SEDI
IMMEDIATE' SUBJECTÆ

EPISCOPO,

ET BONONIÆ

A' LATERE LEGATO

Anni M. DCC. XXVI.







FERRARIÆ, Typis Bernardini Pomatelli Impress. Episcopalis,

INDEX

Capitum, & Titulorum, qui hoc libro in quatuor partes diviso, continentur.

PARS PRIMA.

PARS SECUNDA.

PARS

INDEX.

PARS TERTIA.

PARS QUARTA.

FINIS.

IN NOMINE
SANCTISSIMÆ, ET INDIVIDUÆ
TRINITATIS
A M E N.

Nos THOMAS, Divina Providentia, Episcopus Prænestinus, S R. E. Cardinalis RUFUS, Sanctæ Ferrariensis Ecclesiæ, Apostolicæ Sedi immediatè subjectæ

EPISCOPUS,
ET BONONIÆ A' LATERE
LEGATUS


Divina ope, ac Deiparæ Virginis, Sanctorumque Georgii, & Maurelii, Ecclesiæ nostræ Patronorum, humiliter implorata.



Œlestis Providentiæ Consilio effectum fuisse, haud dubium est, ut Sanctam Ferrariensem Ecclesiam, ab ipsis ejus primordijs, quamplures Summi Pontifices, tanquam specialem Apostolicæ Sedis Filiam, eique immediatè subjectam, dote, patrocinio, privilegijs exornarint: eòque patuit clariùs Divini Numinis consilium, quò acriùs mota super hac gravi admodum re controversia, fuit illa solemni judicio dirempta anno 1133. in Œcumenico Concilio Lateranensi, ubi re maturè, & seriò pertractata, juribus utriusque partis ritè perpensis, Innocentius Secundus clar. mem. ex Cardinalium, & Episcoporum suffragio tulit sententiam pro exemptione, editâ Bulla Concistoriali a Cardinalibus subscripta, & in eodem Generali Concilio publici Juris facta. Hæc igitur tam illustris prærogativa exemptionis, & Apostolicæ Sedi immediatę subiectionis, qua gaudet Sancta Ferrariensis Ecçlesia, per sex integra Sæcula, tot Summorum Pontificum Bullis, solemni Decisione Concilij Generalis Œcumenici inviolata, & firma, nuperrimè autem

autem in Romano Concilio, Regnante Sanctissimo BENEDICTO XIII. roborata, hoc nimirum solemni Decreto (CONSTARE DE IMMEDIATA SUBIECTIONE ECCLESIÆ FERRARIENSIS S. SEDI APOSTOLICÆ, NEQUE ILLAM ESSE SUFFRAGANEAM ULLI METROPOLITANÆ) ùt eandem Ferrariensem Ecclesiam mirificè ornat, ita fortioribus Nos urget stimulis ad eam, quantum in Nobis est, exhibendam Christo Domino gloriosam, non habentem maculam, neque rugam (*ad Ephes. V.*) Porrò huc spectant, quæ in hac nostra Diœcesana Synodo, pro integritate Fidei, ac morum, pro Ecclesiastica disciplina, Oviumque Nostrarum salute, & conversione, ad Pastorem animarum Dominum Jesum Christum, unicè ad Dei gloriam, omnisque justitiæ adimpletionem statuimus, annuntiamus, decernimus.

CONSTI-



CONSTITUTIONUM
SYNODALIUM FERRARIEN.
Pars Prima.

CAPUT PRIMUM.

De Conſtitutionibus.



Educit nos per ſemitas juſtitiæ *(Pſ. 22.)* ineffabilis Dei Bonitas tum Divinis ſuis Legibus, tum ſalutaribus præceptis, quæ Catholica Eccleſia Mater noſtra per Apoſtòlicam Sedem Eccleſiarum omnium Magiſtram, ad hęc uſque tempora, Spiritu Sancto eam docente, ac gubernante ſancivit. His, addidere Prædeceſſores noſtri in ſuis Synodis peculiares Leges, Chriſtianis fidelium moribus aut reſtituendis, aut confirmandis pro temporum opportunitate aptiſſimas.

Ut igitur ab his non deflectamus, quibus vias ſuas nobis demonſtravit, & ſemitas ſuas edocuit nos (*Pſ.* 24.) Deus: inviolabiliter a ſubditis noſtris ſervari præcipimus Romanorum

Pontificum Bullas, Constitutiones, ac Decreta, Constitutiones etiam Synodales Prædecessorum nostrorum post sacrum Tridentinum Concilium editas, quæ qua ratione Sacris Apostolicis Decretis, & his nostris non adversantur, integræ esse debent, perinde ac si earum tenor hic esset insertus, nam eas approbamus, & confirmamus, pœnis tamen censurarum exceptis.

Immò eas in Archivio nostro retentas, & conservatas volumus, una cum præsentibus, & Pontificijs diplomatibus, & Sacrarum Romæ Congregationum Decretis, quæ publicam lucem obtinuerunt, aut obtinebunt, si ad hujus Sanctæ Ecclesiæ regimen, utilitatem, & commodum afferre dignoscantur. Ubi autem occurrerit difficultas in evolvendo harum Constitutionum germano sensu, nostri tantùm muneris erit, & Successorum nostrorum, eam explicare, omnemque ambiguitatem tollere.

CAPUT SECUNDUM.

De fide Catholica.

PRimò. Cum sine Fide impossibile sit placere Deo; (*ad Hebr.* 11. *B.*) accedentem enim ad Deum, oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit: Cumque propterea Fides sit humanę salutis initium, (*Concil. Trid. sess.* 6. *de Justific. cap.* 8.) radix omnis justificationis, ostium vitæ; & quamvis non dignitate; aut excellentia, ordine tamen Prima inter cęteras virtutes: (*Prim. ad Cor.* 13.) idcirco ab ejusdem Fidei Professione nostrarum Synodalium Constitutionum initium, Deo adspirante, ducimus: nam corde quidem creditur ad justitiam (*Ad Rom.* 10. *B.*) ore autem confessio fit ad salutem.

Secundò. Jubemus itaque, ut Dignitates, Canonici, Clerici, omnes, & singuli Beneficia quæcumque Ecclesiastica in

hac

hac Nostra Diœcesi obtinentes, si hactenus id non fecerint, publicè emittant professionem Fidei Catholicę, quam S. Ecclesia Romana, veritatis Magistra profitetur, & colit; quamque ptofiteri oportere Sacri Concilij Tridentini Decreta præcipiunt, (*Trid. Sess.* 3., & *Sess.* 25. *de Reform. cap.* 2.) & formulam præscripsere Summi Pontifices (*Pius IV. Constit.* 89. *Injunctum Nobis*, & *Pius V.*) neque hujusmodi obligationem adimplere negligant, si pœnas a sacris Canonum Legibus, & præsertim à S. Pio Quinto Statutas vitare velint.

Tertiò. Eandem Fidei Professionem emittant omnes provisi de Beneficijs curam Animarum habentibus, & alij omnes Beneficiati: Necnon Confessarij, ac Prædicatores, tàm Sæculares, quam Regulares, illi quidem ante veniam audiendi, hi verò ante concionandi facultatem impetratam, nisi aliud Nobis visum fuerit. Cęteri demum omnes ad externam Fidei Professionem obligati, juxta formulam S. Pij Quinti, obligationem suam sedulò adimpleant, ne indictis pœnis subjaceant. Porrò ad hanc Fidei Professionem ultro se exhibeant, ejusdemque Professionis testimonium, propria subscriptione firmatum, in Archivio Nostro Episcopali servandum tradant.

Quartò. Publicas, & privatas disputationes de rebus ad Fidem pertinentibus cum Judęis, Hęreticis, alijsque a Fide Catholica Romana aberrantibus omnino interdicimus, maximè Laicis, in quocumque virorum, seu mulierum congressu, ne fallaci prætextu eos juvandi, qui circa Fidem naufragaverunt, (*ad Timoth.* 1.) ipsi in profundum errorum demersi pereant.

Quintò. Omnibus verò, & singulis, quibus Animarum cura incumbit, strictè præcipimus, ut si fortè in suis Parochijs invenirentur, qui Jurisdictionem, aut Censuras Ecclesiasticas contemnerent, qui Sacramenta, eorumque usum, ritus sacros, Indulgentias, & suffragia mortuorum irriderent, aut aliàs in Fide dubij homines in tenebris, & umbra mortis sedentes (*Lucæ* 1. *n.* 79.), eos ad verum Fidei lumen omni

ſtudio revocare conentur. Quòd ſi renuant eſſe docibiles Dei (*Joan. 6. n.* 45.) eorum nomina ad Nos deferant , ut pro injuncto nobis munere ipſorum ſaluti conſulamus.

Sextò . Denique ut omnes ij, quorum cura nobis a Deo demandata eſt, actus Divinæ Fidei explicitos ſæpe exerceant, enixè commendamus , ac ſeriò monemus, non ſolùm impoſſibile eſſe, conſequi ſalutem æternam ſine Fide explicita pręcipuorum Catholicæ Religionis Myſteriorum , ſed neque unum ſolum Fidei actum ſufficere in toto vitæ curſu. Oppoſitum quippe errorem condemnarunt Summi Pontifices *(Alexander VII. pñe prima in Decreto eman.* 24. *Septemb. an.* 1665 , *& Innocen. XI. pñe* 16. 17. *&* 65. *in Dec. eman.* 2. *Martij an.* 1679)

Septimò . Per Fidem igitur ambulemus cum Apoſtolo ad regionem ſcilicet veritatis, (*ſubdit Auguſtinus)* ſed ut eò perveniamus, ubi Divinam lucem videbimus ſicuti eſt; nos deducat oportet Fides illa, quæ per dilectionem operatur (1. *Cor.* 5. *)* , quæ conſtans, & humilis uſque in finem perſeveret.

CAPUT TERTIUM.

De Fidei Rudimentis, & Doctrina Chriſtiana.

PRimò. Ne unquam in Diœceſi Noſtra locum habeat quęſtus ille Hyeremiæ *(Tren. Hyerem.* 4.) Parvuli petierunt panem, & non erat , qui frangeret eis : ideo tota animi noſtri contentione , & Paſtoralis Officij ſollicitudine , nedum Parochos, ſed eos etiam, qui tam ſalutare opus amplexi ſunt, hortamur quammaximè , pro viribus incitamus , & impellimus, ut nulli omnino parcentes labori, aut induſtriæ, alacri Zelo, Pueris, ac rudibus panem illum frangant, quo pretioſior nullus, aut magis appetendus , præter eum, qui de Cęlo deſcendit Panis vitæ : ſibique dictum putent : Euntes docete , ſervare quæcumque mandavi Vobis . *(Joann. 6. , & Matth.* 28.)

Se-

Secundò. Intelligitis, panem hunc esse verbum Dei, & Christi Domini Doctrinam, quæ quidem circa duo versatur: Primum continet, quid, credendum sit: Alterum quid faciendum; ut Fides operi conjungatur, quæ si ab operibus sejuncta sit, mortua erit. (*Jacob* 2.) Hæc autem Doctrina, illa est, quam Regius Vates prædixerat immaculatam, & convertentem animas, cum impleat opere, quæ mente, & voluntate credit.

Tertiò. In primis verò instruendi sunt Fideles, diligentissimè, eos credere Mysteria Fidei, & Religionis dogmata, credere inquam debere, solùm quia Deus dixit, seu revelavit. Cum objectum motivum Fidei non sit testimonium Creaturarum, sed Creatoris. Credimus enim Deo dicenti, seu revelanti. Quoniam ajebat Paulus (1. *ad Thessal.* 2.) accepistis illud non ut Verbum Hominum, sed sicut est Verbum verè Dei, qui operatur in vobis qui credidistis.

Quartò. Cum non raro eveniat, quam plures Rusticos adultos lacrymabili ignorantia Mysteriorum Fidei laborare, eorum præsertim, quæ non solùm necessitate præcepti, sed etiam necessitate medij ad salutem necessaria sunt: nempe Deum esse unum in Natura, Trinum in Personis: Præterea Incarnatio, Passio, & Mors D. N. Jesu Christi: Curent ij, ad quos spectat, omni adhibita diligentia eos erudire; Memores supremum Pastorem, & Judicem Ovium suarum jacturam de eorum manibus procul dubio requisiturum.

Quintò. Ut tollatur ignorantia adeo culpabilis, & severa animadversione digna: Parochi omnes singulis diebus Dominicis, dato signo ante vesperas in Ecclesijs Civitatis à Nobis jam deputatis: extra Civitatem verò in Ecclesia Parochiali, vel alia Nobis, aut Vicarijs Nobis Foraneis benè visa, Pueros, ac Rudes utriusque sexus Fidei Rudimentis erudiant, atque informent, juxta præceptum Concilij Tridentini. (*Sess* 24. *cap.* 4. *de Reform.*) Quod verò attinet ad Rectores Villarum, idipsum præstent, vel post Evangelium Missæ

Pa-

Parochialis, vel alio tempore opportuniori, quo Populus frequentior sit, & uberior fructus sperari possit. Mysteria Fidei scitu necessaria, quorum instructio in calce hujus Synodi apponetur, brevi, ac facili methodo ad captum scilicet Rudium tradi oportet. Monemus præterea Parochos, ut Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & Præcepta Decalogi sæpe alta voce recitari jubeant: & pueros ad Cultum Dei, ad obedientiam erga Parentes, ad reverentiam erga Sacerdotes, & Seniores hortentur, ac inflamment.

Sextò. Parochum, & Operarios in hoc tam laudabili, ac sancto Ministerio Doctrinam Christianam Pueros, & Rudes edocendi juvent Clerici sub unaquaque Parochia commorantes, ne in Clericis minus charitatis, & Christiani Zeli, quàm in Laicis doleamus.

Septimò. Patres, & Matres Familias sibi gravissimum hoc onus incumbere sciant, ut filios suos, ac famulos ad hanc cęlestem scholam, ubi vera Religio, ac Fides addiscitur, impellant, immo potius ipsi deducant. Quæ res tanti momenti est, ut antiquis temporibus Parentes, teste Moyse, erant Magistri Fidei: ut in Deuteronomio legitur. Eruntque Verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo; & narrabis ea Filijs tuis. (*Deuteronom. cap. 6. n. 6.*)

Octavò. Ut commodiùs hæc adimpleantur, confirmamus providum Mandatum, quo jubentur Parochi duas Tabellas efficere, in quarum una nomina, & cognomina Puerorum, in altera Puellarum exactè describantur. Quò fiet, ut qui absunt, dignoscantur. Monebunt subinde Parentes, aut Dominos, qui si post trinam admonitionem suę obligationi satisfacere neglexerint, & suos Pueros, aut Puellas ad Doctrinam Christianam non compulerint: tunc Parochi Nobis denuntiabunt eosdem Parentes, aut Dominos, ut pro munere nostro, & gravitate rei contra eos procedamus pænis arbitrio nostro infligendis, & si oportuerit etiam Censuris, juxta dispositi-

positionem Concilij Tridentini (*Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 4. *de Reform.)*

Nonò. Supradictæ Tabellæ pro opportunitate renoventur tàm in Civitate, quàm in Diœcesi.

Decimò. Porro Nobis summæ curæ est, ut eadem omnes utantur methodo in tradenda Doctrina Christiana, explicandisque Mysterijs Fidei, juxta monitum Apostoli Pauli: Doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci: (*ad Hebr. c.* 13. *num.* 9.) & alibi, ut non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinę. (*ad Ephes. c.* 4. *num.* 14.) Quamobrem non aliam edocendi formam sequentur, quàm quæ ab Emo illustris memoriæ Card. Bellarmino edita fuit, aut quæ breviori stylo promulgata à Nobis fuit, aut ab Emo Prædecessore nostro.

Undecimò. Indulgentiarum Spirituale lucrum, Operarijs Doctrinæ Christianæ propositum, magnum certè exigui laboris pretium, eorundem animos magis in dies excitet, atque accendat ad id muneris totis viribus adimplendum.

Duodecimò. Quod si adhuc per summum infortunium reperiantur Juvenes aut Puellæ, adulta quamvis ætate, in hac tamen adeo damnabili Mysteriorum inscitia versantes, & quod gravis malitiæ argumentum est, erubescentes tempore Cathechismi, se cum alijs ad Ecclesiam conferre: advertant Parochi, qua ratione cum ijs se gerant. Nam à Sacramento Pœnitentiæ arcendi sunt, qui duo præcipua Catholicæ Fidei Mysteria ignorant, & priùs edocendi, quàm admittendi.

Arceantur verò a Matrimonio, & reliquis Sacramentis ad salutem non necessarijs, qui non callent Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, Præcepta Decalogi, Ecclesiæ Sacramenta, & Peccata Mortalia: modo defectus non sit naturæ, ac necessarius, sed liber, & voluntatis. Non meretur ingredi cœlestes thesauros, neque introire in potentias Domini, qui ejus doctrinam percipere, aut in corde recondere contemnit.

CA-

CAPUT QUARTUM.

De Libris contra Fidem, & Religionem Christianam.

PRimò. Non solum Hæretici, eorumque volumina, sed cujuscumque conditionis pravi authores, & proscripti eorundem libri, omnino vitandi sunt, tanquam satellites, & instrumenta Diaboli, qui sicut ad deturbandum de statu innocentiæ humanum genus, ministerium serpentis assumpsit, ita pravorum hominum linguas, & scripta ad inficiendos fidelium animos venęno suæ falsitatis armavit. Nihil certò adeo Fidem labefactat, bonos mores corrumpit, & ad omne scelerum genus sensim allicit, ac tandem impellit, quàm lectio Librorum pravam doctrinam continentium. Perditis hujusmodi Scriptoribus optimè congruit dictum Beati Judæ Apostoli *(in Epistola Catholica n. 4.)* subintrojerunt, inquit, quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc judicium, impij, Dei Nostri gratiam transferentes, in Luxuriam: Numero autem 10. ait: Vęh illis, quia in via Cain abjerunt, & errore Balaam mercede effusi sunt: *(ibidem n. 10.)*

Secundò. Neque ad eos venęnatos fontes audeat quisquam accedere, specie hauriendi eloquentiam: plerumque dulces, semper tamen mortiferæ Aquę sunt. Nullum magis noxium venęnum, quàm quod lacte propinatur: nec ulla magis noxia doctrina, quàm quæ eleganti, & perpolito stylo convestitur.

Tertiò. Ut tartareum hoc malum à Christiana Republica quàm longissimè arceatur, sapientissimè providit Concilium Tridentinum (ex regulis de libris prohibitis in Trid. Concil. firmat,) & subinde Summus Pontifex Pius IV. Bulla 77., quæ incipit *Dominici:* ubi librorum hæresim continentium, & aliorum, qui in Indice damnatorum recensentur, lectio, & retentio omnibus tàm Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus Per-

Personis omnino prohibetur sub pœna Excommunicationis, & aliis in regulis ejusdem Indicis contentis, & in Constitutione Pij Papæ IV. comprobatis.

Quartò. Ne verò in Nostram Diœcesim hujusmodi pestis ullo unquam tempore invehatur; Nos Decretis Concilij Tridentini, & Summorum Pontificum inhęrentes strictè præcipimus omnibus, & singulis ne in Civitatem introducant, nève e Civitate educant, aliò transferendos, libros quoscumque, sine Superiorum facultate prius obtenta; nec venales libros damnatos exponant.

Quintò. Pariter sine a Nobis, & a Patre Inquisitore prius obtenta facultate, nemini liceat per Oppida, Terras, & Villas libros vendere, aut folia, ut ajunt, volantia.

Sextò. Noverint omnes vetitum prorsus esse per Pontificias leges, ne Typis imprimatur, quidcquam, quin approbatio nostra, & Patris Inquisitoris præmittatur: ut ab omni tum Fidei, tum Pietatis periculo dilectissimus Grex noster opportunè submoveatur.

Septimò. Libros prohibitos habendi, legendique facultatem sola concedit suprema Congregatio Sancti Officij in Urbe; ex Constitutionibus Gregorij XV., & Urbani VIII.

CAPUT QUINTUM.

De Divini Verbi Prædicatione, & de habendis Concionibus.

PRimò. Obligationem, Parochis injunctam pascendi Populum suum prædicatione Divini Verbi, distinctam prorsus esse ab obligatione docendi Catechesim, omninò compertum est ex Sacro Œcumenico Tridentino Concilio (*Trid. Sess.* 5. *cap.* 2. *de reform. Sess.* 22. *cap.* 5. *de Sacrificio Missæ. Sess.* 24. *cap.* 7. *de reform.*) nam Concilium *mandat*, *& præcipit*,) his enim utitur gravissimis vocibus) omnibus, & singulis, quibus Animarum cura incumbit, ut conciones habeant ad Po-

pulum ipsorum vigilantiæ, ac sollicitudini commissum. (*Sess. autem* 24. *cap.* 4. *de reform.*) jubet eos, tradere Rudibus, ac pueris Catholicæ Fidei rudimenta. Neque mirum esse debet, hanc duplicem obligationem, longè inter se, unam ab altera secerni, cum Prædicatio Divini Verbi ad informandos Adultos, Exercitatio verò Doctrinæ Christianæ ad erudiendos Pueros sit instituta. Quamobrem Pastores Animarum, qui se in exponendo diebus festis Cathechismo tantummodò exercerent, Sermonem autem nunquam, aut nimis rarò haberent ad Populum inter Missarum Solemnia profectò Concilij præceptum non implerent. Manifesta jam diu hæc sunt, præsertim verò ex edicto, quod ab Emo Pauluccio Romæ Vicario, de Mandato SSmi hodiè Regnantis Benedicti XIII. editum fuit 26. Septembris 1724., & a Nobis promulgatum 31. Octobris ejusdem Anni, sub pœnis a Tridentino Statutis.

Secundò. Præterea quamvis Concilium Pastoribus Animarum præcipiat, ut per se ipsos, vel per idoneos Ministros Divini Verbi Prædicatione Gregem suum pascant, ita, videlicet, ut muneri suo Parochi non desint, modo idoneus minister Pastoris vices, in concionando fungatur: tamen nisi fuerint legitimè impediti, Paræciam suam Verbo Dei erudire non negligant per se ipsos, utpote quos gratia vocationis aptiores reddit, & specialis Providentia Pastoribus dedit vocem virtutis: ait enim, se daturum voci suæ vocem virtutis. (*Psal.* 67.) Præ oculis habeant luculentissimum monitum D. Joann: Chrysostomi: Supremus Pastor Oves suas proprio pascit cruore. Matres multæ sunt, quę post partus dolores, filios alijs tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit. (*S. Joann. Chrysost. ex Homil.* 60. *ad pop. Antioch.*)

Tertiò. Veruntamen sive per se, sive per alios, Populum in Fide instruant Parochi, & ad Pietatem hortentur; Summoperè curent, ut hoc Angelicum Ministerium cum Zelo, ædificatione, & fructu adimpleatur.

Quar-

Quartò. Modo dicendi utantur facili, & ad captum rudis Populi accommodato: plana incedant via: Vitiorum horrorem, Peccati odium, Virtutum desiderium, Dei, & proximi amorem in audientium animis excitare conentur. Sacræ Scripturæ oracula ad Profanos sensus detorquere, crimen esset pœnis a Tridentino Concilio illatis configendum. Nec minori cura abstinendum a Fabulosis Poetarum deliramentis.

Quintò. Probitate morum, & Sanctimonia vitæ, Evangelici præconis firment authoritatem. Ubi Vox opere non adimpleatur, & facta verbis non consentiant, quid aliud erit Evangelicus præco, quàm Æs sonans, aut Cymbalum tinniens? (1. *Cor.* 13.) Divini Verbi Prædicatores constituuntur super Gentes, ut evellant, & destruant, & ædificent, & plantent. Numquid ergo non esset enorme flagitium, Domum Domini vocibus ædificare, operibus destruere? (*Hyer. cap.* 1. *n.* 10.) Dominus Jesus cæpit primùm facere, & docere (*Actor. p.*) Propterea qui huic exemplo adhærens, fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum. (*Matth.* 5. *num.* 19.

Sextò. Omni humanitate excipientur a Parochis Concionatores, utpote qui Parochorum oneri submittunt humeros suos, & in partem curæ Pastoralis veniunt, a pravis itineribus ad viam salutis revocantes animas, Parochis ipsis apprimè commissas.

Septimò. Et quamvis alligari non oporteat os Bovis triturantis in area (*Deuter.* 25.) dignusque sit operarius mercede sua (*Luc.* 10.), dicente Apostolo, (1. *Cor.* 9. *n.* 11.) Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus: nihilo tamen minus sordidos quæstus prohibemus, tanquam Dei Ministris indignos, & lucra nimiam cupiditatem redolentia penitus interdicimus. Sciant Concionatores, & Parochi, se pro Christo legatione fungi, tanquam Deo exhortante per ipsos (2. *Cor.* 5. *n.* 20.) Hac igitur Evangelica legatione honorificè fungantur, necesse est, & lucri

famem nobili, & Christiana quadam abstinentia vincant.

Octavò. Qui ad sacros Virginum cœtus, concionandi causa à Nobis mittuntur, verba facere studeant, quæ gravitatem sapiant, modestiam, & circumspectionem, nempe audientium statui, ac pudori convenientia.

Nonò. Monemus autem, & toto Pastoralis Zeli studio Fideles omnes hortamur, ut verbum Dei audiant, avidèque illud excipiant. Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Christi (*ad Rom.* 10. *n.* 17.) modò justitiæ operibus compleant, quæ audierunt. Non enim Auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur (*ad Rom.* 2. 13.) cujus rei rationem affert Jacobus Apostolus, quia si quis auditor est verbi, & non factor; hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo: consideravit enim se, & abijt, & statim oblitus est, qualis fuerit. (*Jacob.* 1. *n.* 23.) Quamobrem vehementer optamus, ut hujusmodi Divinum semen cadat nunquam, aut secus viam, aut super petram, aut super spinas, sed in terram bonam, videlicet in corde bono (*Lucæ* 8.) & optimo, nam ortum faciet fructum centuplum. Ut divitiarum notitia divitem non facit, sed possessio, ita neque sapientem cognitio, sed timor Domini; inquit D. Bernardus.

CAPUT SEXTUM.

De Blasphemis, Hæreticis, Maleficis, & Astrologis.

PRimò. E Nostra Diœcesi, quantum in Domino possumus extirpatum omnino volumus execrabile crimen Blasphemiæ, quo audent Impij, & efferati homines impurum os in Cœlum ponere [*Ps.* 72. *n.* 9.] Sanctissimum Dei Nomen, cui perpetua laus tribuenda est, venenatis labijs polluere, aut obscænis verbis Domini Nostri Jesu Christi, seu Beatissimæ ejus Matris nomen deturpare, & expresse blasphemare. *Se-*

Secundò. Propterea cum hoc tam deteſtabile flagitium Divinis ſemper, & humanis legibus damnatum fuerit, immò & morte turpiſſima in veteri Teſtamento punitum [*Levit.* 24. *n.* 16.] Nos Conſtitutionibus Summorum Pontificum inhærentes decernimus hujuſmodi ſceleſtos homines obnoxios eſſe omnibus pænis à Leone X Julio III., & S. Pio V. Statutis.

Tertiò. Neque dubium eſt, præcipuum locum in hoc genere perfidiæ obtinere eos, qui horrendo hæreſis crimine infecti ſunt, proinde ſummopere vitandi, ne ſanos in Fide, vel ipſo peſtifero halitu corrumpant. De ijs enim dixerat Dominus [*Joann.* 3.] Qui non credit, jam judicatus eſt.

Quartò. Sed quoniam mortifera hęc peſtis, ſi lateat, curari non poteſt, ideo Parochis omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus diſtinctè præcipimus, ut ſi quem blaſphemantem hæreticaliter Deum, Beatiſſimam ſemper Virginem, & Curiæ Cœleſtis Sanctos audierint, aut certò ſciverint, ad Nos ſtatim deferant, aut ad Rev. P. Inquiſitorem: necnon in Fide hæſitantes, aut hæreſim ſubolentes ſuperioribus deferre ſimiliter debent, ne hujuſmodi Lues contagio ſuo alios in perniciem trahat. Delinquentes progredi non ſinemus, pœnarum remedio, quas Pontifices maximi Sixtus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. in ſuis Conſtitutionibus opportunè ſtatuerunt.

Quintò. Nec minoris impietatis, immò neque parum ſuſpectos in Fide cenſemus eſſe Magos, Sagas, Augures, Sortilegos, Maleficos, Incantatores, Aſtrologos etiam judiciarios, ſuper Aſtra ſe inaniter efferentes, qui omnes, utpotè peſſimarum Artium Profeſſores, & nefanda cum Dæmone, ac ſacrilega pacta, ſæpe etiam explicitè, ineuntes, ſuperioribus denunciandi ſunt, ut pro munere in eos animadvertant.

Sextò. Errorem, & audaciam vilium perſonarum, præſertim Mulierum, quæ benedictiones quaſdam impertiuntur Ægrotis, etiam Beſtijs, nec raro ſuperſtitioſè, aut quæ contendunt, ſe habere arcana remedia, & medicamenta, eaque, vel docent, vel exercent ſignis, & verbis ſuperſtitioſis; diligen-

genter corrigant Parochi; nedum sedulò Populum hortando, ut ab hujusmodi Benedictionibus, vel remedijs, aut petendis, aut impertiendis omnino abstineant.

Septimò. Patres, & Matres Familias summopere caveant, ne filij, & Famuli blasphemias, aut ullam ex supradictis pestiferis Artibus pravo exemplo suo addiscant: immo si horum criminum reos, severè non reprehenderint filios, famulos verò post correptionem reincidentes non dimiserint, sciant, se à Deo, & superioribus, gravissimis pœnis mulctandos.

CAPUT SEPTIMUM.

De Sacris Reliquijs.

PRimò. Ab ipso Christianæ Religionis primordio receptus jam tum, retentusque in præsentem usque diem Sacer usus Sanctorum Patrum consensu, Conciliorum Decretis, ipsisque admirabilibus de Cœlo signis approbatus, luculenter suadet, persuadetque Fidelibus, Sacra Ossa, & Reliquias, quin, & ipsos Sanctorum Cineres debita veneratione coli oportere [*Concil. Calced. in fine*] [*Concil. 6. & 7.*] [*Bellarm. lib. pr. c.* 18. *&* 19.] [*Concil. Trid. Sess.* 25. *de Invocat. & Venerat. & Reliq. Sanctorum*] [*Cathechis. Rom. p.* 3. *cap.* 2.] Pergratum hoc esse tum ipsi Deo, tum servis suis Cœlesti jam Corona donatis, satis declarant innumera, quæ a Deo, ob intercessionem Sanctorum impetramus beneficia.

Secundò. Hinc militantis, triumphantisque Ecclesiæ communionem clarissimis argumentis confirmari perspicuum jam est. Charitas, qua vivi flagrabant in proximos, non excidit post pretiosam eorum mortem, sed in immensum aucta. Beati illi servi, olim super pauca fideles, nunc super multa constituti, de sua utique jam sunt felicitate securi, sed adhuc de nostra salute solliciti.

Tertiò. Divinæ profectò sapientiæ fuit, ut magno in hono-

re

re apud nos essent Sanctorum Reliquiæ, non quia his indigeant Beati, quemadmodum non indiguit Dominus Jesus unguento, sed quia eorundem excitemur exemplo, & gaudeamus patrocinio. Præterquam quod spirantia ferè Beatorum corpora, & mirabiles Reliquias offerendo, quasi universalis Resurrectionis pignora Christiano Populo Deus ipse commendavit.

Quartò. Ut vitetur autem periculum adorandi res adoratione non dignas, muneris nostri est recognoscere, veras Reliquias approbare, easque a non veris secernere, omnia signa, & documenta inquirere, unde veritas effulgeat. Propterea nemo audeat capsulas aperire, undecumque delatæ sint, quibus Sacræ Reliquiæ contineantur. Nemo audeat, sive Clericus, sive Regularis, sive Sæcularis publicæ adorationi exponere Reliquias ab Ordinario non approbatas, immò neque titulo solius ornamenti eas in Ara collocare.

Quintò. Sacras itaque Reliquias ab Ordinario recognitas, & approbatas, præcipimus, ut Ecclesiarum Rectores, sive Regulares, sive non Regulares diligentissimè servent, ac sanctè custodiant Thecis inclusas, saltem ex ligno deaurato affabrè elaboratis, chrystallo contectis, & separatis cellulis distinctas, suo unamquamque nomine, & inscriptione.

Sextò. Reliquias verò, legitimis documentis carentes, adeoque dubiæ Fidei, quamvis publico cultui non exponendas, mundo tamen, & separato vasculo asservari decet.

Septimò. Thecas prædictas, & Vascula reponi pręcipimus in Armarijs, quæ intus, forisque decenter ornata sint, & sita in Ecclesia ipsa, vel in Sacristia, loco ad hunc usum addicto, nec humiditati obnoxio. Claudantur Armaria hujusmodi una vel duplici clavi, prout consuetudo tulerit, & apponatur Epigraphe, *Reliquiæ Sanctorum*. Neque in eis quidcquam aliud quantumvis sacrum collocetur.

Octavò. Ne tam pretiosi Thesauri, cujusmodi sunt Sanctorum Reliquiæ, pars vel minima, quantum in Nobis est, ullo

ullo unquam tempore interire poſſit: diſtrictè in primis prohibemus, ne quiſquam audeat ex Armarijs, Thecis, & Vaſculis, ſacras Reliquias, aut earum partem licet minimam extrahere, ſibi attribuere, aut alteri donare: nam ubi Nobis conſtiterit tam irreligioſus auſus, erit procul dubio ſeverè, & abſque ulla ſpe veniæ puniendus. Deinde præcipimus, ut Eccleſiarum Rectores omnium Reliquiarum, quibus ipſorum Eccleſiæ ditatæ ſunt, catalogum exactè conficiant; earundem authentica documenta diligenter adſervent; Catalogi prædicti exemplar a ſe ſubſcriptum ad Noſtram Cancellariam, niſi jam ante detulerint, confeſtim deferant, aut tranſmittant.

Nonò. In ijs autem Eccleſijs, ubi Corpora Sanctorum, ſeu Reliquiæ inſignes religioſè coluntur, noverint Rectores, declaratum fuiſſe, ibi Officia recitari, & Miſſas celebrari poſſe Sanctorum eorundem, his tamen conditionibus ſervatis, ut nempe illorum nomina in Martyrologio Romano conſpiciantur deſcripta, & quod caput eſt de identitate corporis, aut inſignis Reliquiæ conſtet. Quæ fusè declarantur in Decreto Sacræ Rituum Congregationis in calce hujus Synodi apponendo (*Vide Decretum Sac. Rit. Congregat. ſub die* 11. *Auguſti* 1691.

Decimò. Præſtat autem noſſe, quænam cenſeri debeant Reliquiæ inſignes, quidue hoc nomine venire poſſit (*Greg. XIII. in Bulla edita die* 30. *Decembris* 1573. *incipiente; Paſtoralis Officij*) Reliquias inſignes appellat Caput, Brachium, Crus. Quo tamen loco non eſt locutus Pontifex in ſenſu excluſivo, ut monent graves Theologi, & ex ipſo Textu ejuſdem Bullæ apertè colligitur. Quamobrem nomine Reliquiæ inſignis, venit etiam pars, in qua paſſus ſit Martyr: Cujuſmodi eſſet Dens S. Apolloniæ.

Præterea Reliquiam magnam cenſent, quæ compacta ſit ex pluribus fruſtis ejuſdem Sancti. Reliquiæ magnæ ſunt, Spina quamvis unica Coronæ Chriſti Domini: Capilli aliquot Bea-

Beatissimæ Virginis: pariter Ossa Apostolorum, Evangelistarum, S. Annæ, S. Joannis Baptistæ, & hujus Ordinis Sanctorum, quos Catholica Ecclesia inter primos veneratur, & colit, quamvis non sit adeo magna Reliquiæ pars: Excessus enim qualitatis, supplet defectum quantitatis. Ob similem rationem inter magnas Reliquias enumerant Doctores partem licet parvam Corporis alicujus Sancti ob plurima miracula insignem.

Undecimò. Verum præter accuratam, ac decentem custodiam, cum debitus etiam cultus mirificè Nobis cordi sit, ut ea quæ par est ratione, Sacris Reliquijs adhibeatur: Parochi, & Concionatores fidelem Populum sæpe instruant, quo videlicet honore, quave specie cultus, Sanctorum cineres, & sacra ossa afficere possint, & teneantur. In mentem revocent, ea esse quædam immortalitatis semina (*Concil. Trid. Sess.* 25. *de Invocat. venerat.*, & *Reliquijs Sanctorum.*) viva olim fuisse Spiritus Sancti habitacula, quæ in hoc exilio quondam humiliata, demum in Extremo Judicij die exultabunt, gloriosis dotibus decoranda, perpetuò in Cœlis regnatura. Propterea in Concionibus auditores suos frequenter edoceant, venerabiles Sanctorum Reliquias colendas esse, non tam spe a Deo, ipsorum precibus, beneficia consequendi, quàm animo eorum virtutes imitandi, ut eos imitari non pigeat, quos celebrare delectat (*S. August. Serm.* 47. *de Sanctis*) (*S. Joann. Chrysost. Serm. de Mart. quod aut imit. aut non Laud. Tom.* 3.) Cum enim eorum Sacra lipsana exposita viderint, in ijs Christianæ vitæ normam sibi propositam esse intelligant.

CAPUT OCTAVUM.

De Sacris Imaginibus.

PRimò. Tartareus hostis, qui tanquam Leo rugiens indesinenter circuit quęrens quem devoret, ac mille nocendi artes semperque novas in perniciem animarum excogitat, pro-

bè intelligens, quanti ad ſalutem adjumenti ſit antiquiſſimus Sacrarum Imaginum uſus, & cultus, ad eas e Chriſtiano Orbe penitus evertendas, Iconomachos ad furorem olim inflammavit. Verumtamen Eccleſia Catholica, quæ a ſuis jam inde incunabulis Sacras Imagines venerata eſt, pro ijs tuendis, tanquam pro Aris, & focis, invicto animo decertans, eaſdem in acerbiſſima illa ſceleſtorum Principum, & furentium hominum perſecutione, omnia ſuppliciorum genera conſtantiſſimè ferens, bonorum, & vitæ jactura, ac ſanguinis effuſione propugnare non dubitavit, & feliciſſimo exitu ubique terrarum retinuit.

Secundò. Perpetuam hujuſmodi Eccleſiæ Catholicæ conſtantiam in ſacrarum Imaginum cultu mirari deſinet, qui teſtimonia veteris legis (*Exod. cap.* 25. 3. *Reg. c.* 6. 2. *Paralip. cap.* 3.) traditionem novæ, Sanctorum Patrum Sententias, atque admirabiles ipſarum Imaginum utilitates animo non contumaci conſiderare voluerit.

Tertiò. Atque ut de utilitate potiſſimum ſermo ſit: Sacræ ipſę Imagines (*Bellarm. toto tract. de Sanctorum Imaginibus*) rudium oculis exhibitę eorum animos inſtruunt, nempe noſtræ Fidei Myſteria, Chriſti Domini admiranda geſta, fidelium Dei ſervorum integerrimos mores in memoriam revocant; Eo fructu, ut quæ tantum audita ſegnius irritarent animos;in conſpectu poſita, cordi altiùs inſigantur. Hinc Fideles ad amorem, atque imitationem ſuaviter excitantur, ſpe ipſorum patrocinij eriguntur, eorundem exemplo monentur, fidem non erubeſcere, chariſmata æmulari, doctrinam ſequi.

Quartò. Tanta enim erga Nos fuit Divina Pietas, & Clementia, ut nobis tot inter pericula peregrinantibus eos deſtinarit Patronos, Adjutores, & Advocatos, quos in Cœleſti Regno triumphali jam Laurea redimivit, & pro eorum meritis in gloriæ ſuæ conſortium admiſit.

Illos igitur Cœleſtes Duces ſi obſequijs demereri noverimus, haud

haud dubiè ipsorum opem in diuturnis conflictibus opportunè adesse sentiemus, quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus Mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, *(ad Ephesios 6. n. 12.)* propterea accipiamus, oportet armaturam Dei, cujusmodi est Patrocinium Sanctorum, in primis verò Sanctissimæ Virginis Deiparæ, atque Angelorum Tutelarium, ut possimus resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.

Quintò. Pastores animarum gregem suum edoceant, sacrarum Imaginum cultum, & venerationem ejusmodi esse, ut non in Imagine ipsa sistat, sed ad ejus prototypum, cujus nempe est Imago, perpetuò relata fuerit, & referenda sit. Porro sanctos, quos Catholica Ecclesia colit in Cœlis regnantes, non alio veneramur cultu in suis Imaginibus, quàm eo, quem vocant Duliæ, nimirum ut Fideles Dei famulos, Deoque charos, quorum preces libenter excipit, & intercessiones exaudit. Majori equidem cultu, quem *Hyperduliæ* appellant, Sanctissimam Virginem Mariam, etiam in suis Imaginibus colere, ac venerari semper consuevit Ecclesia, videlicet, ut Dei Matrem, omni certè (infra Deum tamen) honore, & obsequio dignam, cui nullatenus Cœlestis Aulæ Principes æquiparantur. Hinc supremus *Latriæ* cultus, qui soli debetur Deo uni, & Trino, nunquam in Ecclesia Catholica, alteri a Deo communis fuit, aut esse potuit. Proinde quantùm per Sacrarum Imaginum venerationem, Christum Dominum, Immaculatam Deiparam, Sanctosque, earum Prototypa honoramus, & colimus; tantundem superstitionem omnem, & idololatriam detestamur.

Sextò. Optima, & verè Christiana ratio, Deiparam, Sanctosque omnes in Imaginibus colendi, illa profectò est, qua non solum exteriori corporis, & vocalium precum obsequio, sed quod longè potius est, interiori cordis affectu, & probitate morum virtutes imitamur, præsertim puritatem, humilitatem, patientiam, modestiam, Dei mandatorum observan-

 tiam.

tiam. Hac enim ratione validiſſimum nobis ab Immaculata Virgine, Sanctiſque omnibus patrocinium promeremur. Nam Sacræ Picturæ ex ipſis Eccleſiarum parietibus eloquentiſſima taciturnitate Fideles alloquuntur, & commovent ad declinanda vitia, ad aſſequendas virtutes, ad ea, quibus Sancti præiverunt, exempla ſectanda. Qui has voces obfirmatis auribus non audierit, in vitiorum cœno infixus in caſtris Dæmonum militaverit, non utique Sanctorum cliens, ſed juratus hoſtis habendus erit, fruſtra ipſorum opem præſtolaturus, etſi quibuſdam externis futilibus obſequijs eos veneretur, niſi preces ſuas eò dirigat, ut patrocinio Deiparæ, ac Sanctorum è vitijs emergat.

Septimò. Non negligant Parochi ſuadere Populis, qua ſinceritate affectus, & fervore devotionis, illos præſertim colere oporteat Sanctos, qui ejus, ubi degunt, Loci Patroni ſunt, & Protectores; atque illos pariter, quorum nomine in Sacro Fonte, inſignitus quiſque fuit. Etenim ſub eorum tutela vivimus, in terris, & eorundem patrocinio futuri in Cœlis conſortes gloriæ, & cohæredes.

Octavò. Unumquemque Fidelium noſtræ Diœceſis enixè hortamur in Domino, ut obſcęnas, & impudicas (quas non tolerabimus) Imagines non modo ullo prętextu Domi ſuæ non patiantur, quam enim dabit homo commutationem pro anima ſua; Sed etiam flammis omnino ſuccendant, tanquam peſtifera Dœmonis inſtrumenta, & arma, quibus tartareus hoſtis oculorum deceptione incautas animas mactat, & perdit. Quin immo piæ Chriſti Domini Salvatoris, Sanctiſſimę Virginis Mariæ Dei Genitricis, Sanctorumque Tutelarium Icones domeſticos parietes exornent, ut coram ijs, mane, ac veſpere preces effundant; Per diem verò luculentos teſtes habeant ſuarum actionum, juxta ſapientiſſimum monitum D. Bernardi: Angelo tuo reverentiam habe: tu ne audeas illo præſente, quod vidente me tu non auderes. (*S. Bernard. in Pſal. Qui habitat*. (Quod egregium dictum mirificè rei no-

ſtræ

ſtræ aptatur, ut videlicet Deo, Sanctiſque inſpectantibus mali quidquam perpetrare erubeſcant.

CAPUT NONUM.

De Feſtis Diebus cuſtodiendis.

PRimò. Feſtos dies Creator Omnipotens ab ipſo Mundi primordio in Religionis, ac Fidei cultum inſtituit, cum benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum, quia in ipſo ceſſaverat ab omni opere ſuo. (*Geneſ.* 2. *n.* 3.) Hinc Sabbatum in veteri Lege ſanctè cuſtodiebatur. (*Exod.* 20. *num.* 10. *Deuter.* 5. *n.* 16.) At ubi Figura in veritatem, Lex in Evangelium tranſijt: Sabbati quoque Feſta celebritas in diem Dominicum immigravit, ſic decernente Eccleſia Catholica (*Cap.* 1. *de Conſecr. diſt.* 3. *& cap.* 3. *de Ferijs*) eodem Divino Spiritu afflata, quæ alias diei Dominico ſubinde addidit ſolemnitates, alioſque dies Deo ſacrandos cenſuit, ac juſſit.

Secundò. Hujuſmodi Feſtos dies Paſtores animarum Gregi ſuo pro temporis opportunitate annuncient, ne ob ignorantiam, qua Rudes laborant, ſacras violent Leges. Neque ſuo muneri ſatisfacient Parochi, niſi ſimul edoceant populum ſuum, qua ratione dies Feſti colendi ſint.

Tertiò. Dierum Feſtorum obſervantia duo potiſſimum requirit, ut fusè in noſtro hac de re Edicto expoſuimus. (*de Obſervantia dierum Feſtorum. Emanat.* 24. *Octobris* 1721.) Primum eſt, ſe pijs in operibus exercere. Alterum eſt, ab omni ſervili opere ceſſare.

Quartò. Quod ad primum attinet: in Chriſtiano populo ea non ſit inſcitia, aut malitia, ut diem feſtum ſanctificaſſe putet, ſtatim atque Divinum Miſſæ ſacrificium attentè audierit; quaſi poſtmodum liceat, reliquas diei Feſti horas ocio, aut inanibus ludis terere, quodque pejus eſſet, in ebrietatibus, aut comeſſationibus conſumere, magno Fidelium ſcandalo,

dalo, animæque propriæ detrimento. Qui hæc ageret, debitum Christiani Hominis penitus ignoraret. Spiritualiter nobis feriandum est, ait S. Gregorius Nazianzenus; (*orat.* 44.) Et quoniam Dei memoria, præcipuum Festi caput est, Deum memoria colamus: Cum enim Sacris diebus obyciatur nobis recordatio tum Mysteriorum Redemptionis nostræ, tum illustrium Palmarum, quas de triumphato Mundo retulerunt S. Martyres, hodie cum Christo Domino in Cœlis regnantes: ideo Divinæ Bonitati, & Potentiæ gratias ac Laudes, Sanctisque debitum honorem solemniter, ac piè tribuamus, necesse est. Præterquam quòd perpetua summique pretij beneficia nobis a Deo collata, continuam quidem nostri erga Deum, ac Deiparam, Sanctosque omnes grati animi significationem, præsertim verò in festis diebus maximè obsequiosam potiori jure deposcunt. Quamobrem dum Sacrificium Missæ, Sacra Concio, Doctrina Christiana, Divina Officia, sive matutina, sive vespertina, omnisque alia Ecclesiastica functio peragitur: Curent Parochi, ut omnes devotè intersint. Sacerdotes, & Clerici Ecclesiæ servitium non negligant. Demum intelligant, qui Christiani nomine gaudent, observantiam Festorum Dierum consistere in perfecta, & plena applicatione ad Divina; ut docuit Concilium Tridentinum (*Decreto de jejunio, & dieb. festis. Sess.* 25. *de Reform*) & post ipsum in sua Constitutione S. Pius V. (*incip. Cum primum. Cathechis. Rom. C. de Festor. observantia*) propterea Sacros ejusmodi dies precibus, & alijs Religionis ac Charitatis operibus noverint esse impendendos: Sintque Fideles mutuo sibi exemplo ad colendum Deum, & propitium habendum.

Quintò. Quod verò alterum spectat, nempe cessationem ab omni opere servili: Nos Pastorali nostro muneri satisfacere omnino volentes, ex veterum Patrum traditione, Sacrorumque Conciliorum jussis, ac Summorum Pontificum Constitutionibus, districtè præcipimus in memorato Nostro Edicto,

ćto, iterumquæ præcipimus, ne festis diebus quidquam servilis operis fiat.

Sextò. Ad pleniorem subditorum Nostrorum instructionem, in eo Edićto distinximus opera ab operibus, quædam verò certis quibusdam conditionibus appositis tolerata, ibique singillatim exposita. Quod propterea Edićtum in Calce hujus Synodi apponetur.

Septimò. Messis, & Vindemiarum tempore, cum plerique Nobis, aut Vicario Nostro Generali supplicent pro licentia, servile opus aggrediendi, in occursu Festorum dierum: Ea quidem gratis a Nobis concedetur, ubi Pietas suaserit vel humana exegerit necessitas (*Cap. Licet de Ferijs* : *& in Conc. Rom. sub Benedićto* XIII. *Tit. xi. cap.* 2.) Sub his tamen conditionibus. Primùm, ut ij, qui hujusmodi licentiam obtinuerint, ipsa nullatenus uti possint, nisi fuerit causa necessitatem inducens ab eorum respećtivè Parochis recognita, & approbata: qua legitima causa deficiente, omnino volumus, ut licentia sic obtenta laceretur a Parochis, & rusticis nullo modo suffragetur: Quòd si nihilominus hujusmodi non valitura licentia abutentes, servile opus aggredi diebus festis ausi fuerint; pœnas transgressoribus, & Festorum violatoribus indićtas procul dubio subibunt. Deinde causa necessitatis existente, & ab eorum Parochis approbata, Sacrosanćtam Missam audiant, servile priusquàm opus aggrediantur. Demum ij, quibus ea uti facultate licuerit, adhortatione moneantur, ut ex eo quod illis utilitatis obvenerit, partem saltem aliquam Ecclesijs circumpositis, & Dei pauperibus elargiantur, ut cultus Deo debitus, & ab ijs ommissus, eleemosyna quodammodo suppleatur.

Ośtavò. Præterea qui die festo terram colere attentaverint Aratro, Bipalio, aut Ligone; incurrent juxta Decreta Sacræ Congregationis pænam sex Juliorum in beneficium Ecclesiæ, vel pauperum. Qui sæpius deliquerit, & contumaciùs se habuerit; obnoxius erit pęnæ Carceris, alijsque pęnis arbitrio

bitrio Nostro. Qui alia opera servilia exercere præsumpserint, transuehere Segetes, & similia pondera plaustris, vel subvectionibus; Qualibet vice subjacebunt pęnæ quinque Juliorum in beneficium Ecclesiæ, vel pauperum. Sub eadem pęna Artificibus interdicimus, suas Officinas apertas tenere, aut in illis quamvis obseratis artes colere. Videatur in Appendice hac super re Edictum Nostrum, cujus supra facta est mentio.

Nonò. Prohibemus præceteris Circulatores omnes, & Histriones scamna conscendere diebus festis.

Decimò. Transgressores, qui, Divino timore non deterriti, profanare præsumpserint dies Festos, subjacebunt tum pœnis Sacrorum Canonum, tum etiam alijs arbitrio Nostro; Prout res postulaverit; ad compescendam videlicet temeritatem hominum impiorum, qui Divini Judicij severitatem non veriti, neque tam frequenti eorum, qui dies Festos violant, punitione, Cœlo ipso vindice, ullatenus commoti, adhuc audent tam religiosa præcepta contemnere, atque honorem tot titulis Deo debitum denegare.

CAPUT DECIMUM.

De Jejunio, & Quadragesima.

PRimò. Eximias Jejunij utilitates miris Laudibus extollunt Sancti Patres, doctrinam, & exemplum secuti Christi Domini, cujus oraculo quoddam genus Dæmoniorum non eijcitur, nisi in Oratione, & Jejunio.

Secundò. Eodem Divino exemplo instructa, & Sacra traditione edocta Ecclesia Catholica in ipsis Legis gratiæ incunabulis jejunium, statis temporibus religiosè servandum Fidelibus imperavit (*cap. Quadrag. dist.* 5.) tanquam salubre remedium ad coibendos concupiscentiæ insanos motus, animamque Christianis virtutum opibus augendam (*Concil. Trid. Sess.* 25. *De delicto Cibor.*

Tertiò.

Tertiò. Ut ergo tam Sanctæ Jejunij Leges, eodem, quo Ecclesia ipsa, tempore exortæ, in viridi semper floreant observantia, apud omnes Civitatis, & Diœcesis Nostræ subditos, æquum duximus ea, quæ sequuntur; firmiùs, Deo favente, statuere.

Quartò. Vigilias, & quatuor Anni tempora, diebus Dominicis immediatè præcedentibus populo diligenter annuncient Parochi, dum Sacrum faciunt. Impendente Quadragesimæ Jejunio vim præcepti repetant, & aperiant, gravem obligationem brevi, & expedita methodo exponentes, qua se abstinere a Carne, alijsque vetitis Cibis teneantur omnes; egressi verò vigesimum primum ætatis Annum, nulla legitima impediente causa, jejunare etiam debeant.

Quintò. Acerrimè reprehendant ijdem Parochi abusum detestabilem eorum, qui, ante solemnia Cinerum audito Æris Campani signo, jam tunc incipiens post mediam noctem quadragesimalis Jejunij acceptabile tempus, moribus Christiano nomine prorsus indignis commaculant, & dum dies incipiunt salutis, locusque aperitur pœnitentiæ, adeo peccatorum seriem non abrumpunt, ut in ipso pervigilio Cinerum, Ludorum, & Chorearum intemperantiam protrahant usque ad plurimam noctem, quin etiam ad ortum solis, intolerabili certè Christianæ Religionis dedecore, ac damno.

Sextò. Carnes vendere, quadragesimæ tempore, ijs tantùm liceat, qui à Nobis, seu à Generali Nostro Vicario facultatem obtinuerint; ac in earum venditione, quæ præscriptæ fuerint, conditiones servent sub pœnis arbitrio Nostro.

Septimò. Seriò præmonemus, atque hortamur Medicos, ne hanc Sanctissimam Jejunij legem, non nisi justa, & bene perspecta causa solvant: neque concedendus Carnium esus; ubi ovis, & Lacticinij consulere possint debilitati Naturæ. Secus Medici ipsi ab alienis culpis non erunt immunes.

Octavò. Advenis, & Peregrinis parari Cibos vetitos pro-

D hi-

hibemus, nisi constet de Dispensatione obtenta eorumdem Ordinarij, aut Parochi Chirographo, & sigillo firmata; vel nisi aliunde manifesta fiat legitima causa dispensationis à Carnium abstinentia. Nullum quippe lucrum, nullusque alius titulus tanti unquam esse potest, ut propriæ, atque aliorum animæ nocere quisquam audeat.

Nonò. Noverint omnes, abstinentiam à Cibis vetitis, & Jejunij observantiam tunc prodesse, si cum eo conjungatur aliud sanctius Jejunium, nempe abstinentia iniquitatum (*Cap. Jejunium dist.* 5.) (*Cap. Nihil enim prodest. ead. dist.* 5.) (*Cap. Jejunium dist.* 76.) Quamobrem pretiosissimum temporis thesaurum, quem aliàs in perniciem suarum Animarum, miserè prodegerunt, Orationibus, ac pijs operibus redimere curent Jejunantes.

Decimò. Præter Jejunia Sacris Sancita Legibus; prius certè, ac multa commendatione dignus, fuit semper ille mos, quo non paucæ Christianæ Familiæ diem unum, aut alterum in qualibet hebdomada, aut jejunio, aut saltem abstinentia ab Ovis, & Lacticinijs Deo sponte dicare consueverunt; probè intelligentes, jejunio subigi concupiscentiam Carnis, justam Numinis iram aliquando mitescere, ac Cœlestia demum munera faciliùs impetrari. Quem spontè Jejunandi Laudatum morem summopere cupimus, majorum exemplo in Filios, & Nepotes hæreditaria pietate transmitti.

Undecimò. Igitur Parochi jejunium denuncient animi, & corporis, atque in mentem fidelium revocent egregium illud Divi Bernardi monitum: *Totus jejuna, quia totus peccasti.*

CON-



CONSTITUTIONUM
SYNODALIUM FERRARIEN.
Pars Secunda.

CAPUT PRIMUM.
De Sacramento Baptismi.



Rimò. Maxima illa, & pretiosa promissa, quæ Dominus Jesus nobis donavit, ut ait S. Petrus (2. *p. n.* 4.) meritò intelligi possunt Sacramenta novæ Legis, per quæ efficimur Divinæ consortes Naturæ; fugientes ejus, quæ in Mundo est, Concupiscentiæ corruptionem. Hoc enim maximè interest vetera inter et nova, quòd illa, teste Apostolo Paulo, (*ad Galat.* 4.) infirma fuerint, & egena elementa: Hæc verò Legis novæ Sacramenta gratiam conferunt, quæ in antiqua Lege tantummodo figurabatur. (*Conc. Trid. Sess.* 7.) (*Floren. in dec. Eug. IV.*) Nec mirum est, tantum virtutis inesse Catholicæ Ecclesiæ Sacramentis, cum ex pretiosissimo Christi Domini Latere profluxerint, eorumque vis omnis ex ipsius venerabili passione prodierit.

Secundò. Primum obtinet locum Sacramentum Baptiſmi, non modo quia Janua eſt cæterorum, ſed etiam quia omnium maximè ad ſalutem eſt neceſſarium. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei: (*Joann.* 3. *n.* 5.) Propterea neceſſe omnino eſt, hoc loco ſtatuere ea, quæ de Baptiſmo rectè ſcire, & in Baptiſmi adminiſtratione ritè ſervare oporteat, nec ea tantùm, quæ ad Parochos, ſed inſuper quæ ad obſtetrices ſpectare poſſunt, aut ad illos qui baptizandos Infantes ſuſcipiunt, Patrini vulgo dicuntur.

Tertiò. Perſuaſum Nobis eſt, Parochorum neminem ignorare, quæ ſit materia neceſſaria, quæ forma Baptiſmi (*Matth.* 28. *n.* 19.) quæ demum Intentio, non ſolùm faciendi feriò actum externum ſerium, ſed actum, ut ajunt, formaliter ſacrum, nempe faciendi, quod facit Eccleſia. (*Concil. Trid. Seſſ. C. xi.*) Æquiſſimo jure Catholica Eccleſia divinitus edocta ſale utitur in collatione Baptiſmi, ut videlicet hæreditarium Adæ vulnus in Sacro fonte tergendum, ſanandumque ſignificet. Circa quem ſalem ſerventur ea, quæ Eminentiſſimus Prædeceſſor Noſter in ſua Synodali Conſtitutione, titulo de Baptiſmo præſcripſit, eodem, quo verba proferuntur, momento infundatur Aqua, trina per modum Crucis infuſione trium Divinarum Perſonarum ſignificationibus correſpondente: (*ex Rituali Romano de Sacramento Baptiſmi*) qui laudabilis uſus hujus Noſtræ Diœceſis, baptizandi per infuſionem aquæ planè retinendus eſt: hac ſcilicet neceſſaria cautione, ut ab eodem infundatur aqua, & pronuncientur verba: Quod indicat Apoſtolus Paulus. (*ad Epheſ. c.* 5. *n.* 26.) dum ait: Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſeipſum pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans Lavacro Aquæ in verbo vitæ.

2. Locus conferendi Baptiſmum, eſt Eccleſia, niſi ob imminens mortis periculum, aliter neceſſitas cogat. Si contingat, infantem Domi baptizari, ad vitandum æternæ mortis periculum; tunc diligentiſſimè inquirant Parochi, qua ratione id

id confectum fuerit, ut si fortè essentialis aliquis defectus casu obvenerit, eundem suppleat, animamque pueri capacem reddat fructuum Sacramenti. Sin autem ritè, rectèque peracta omnia ad Baptismum necessaria compererit Parochus, a baptizando quidem abstineat: verumtamen consuetos Ecclesiæ ritus unquam non prætermittat: immo si ex probabili fundamento adhuc dubitet, utrum Infans rectè fuerit baptizatus, tum eundem sub conditione baptizet. 3. Pariter sub conditione conferatur Baptisma expositis Infantibus, quando de collato eis Baptismate nullum extet sufficiens argumentum: secus non rebaptizetur. Ecclesiæ quoque ritus adimpleantur, ubi de eorumdem ommissione prudenter dubitetur. 4. Qui citra prædictum mortis periculum quempiam baptizaverit extra Parochialem Ecclesiam, aut sine institutis ab Ecclesia Cœremonijs baptizaverit in Domibus privatorum licet Nobilium, coget Nos ad infligendas pro merito pœnas. Locus Divinæ regenerationi destinatus, secluso necessitatis casu, Ecclesia est, ubi non ex voluntate Carnis, sed ex Deo nascimur, ac Filij Dei nominamur, & sumus. Hæc enim est vera Nobilitas, cui terrena comparanda non est. 5. Nomina, quæ infantibus in Sacro Fonte induntur, prorsus curabunt Parochi, ne profana sint, neque fabulosa, vel impiorum ethnicorum; verùm Sanctorum Nominibus nuncupentur, quorum frequens recordatio ad sectanda vestigia, opemque implorandam, eos, cum ad rationis usum pervenerint inflammet. 6. Non negligant Parochi ea, quæ ad hujus Sacramenti substantiam pertinent, Populum identidem edocere, lingua etiam vernacula, ut si quando contingat, in aliquo necessitatis casu Baptismum Infantibus administrari, cum ab alijs de Populo, tum etiam a Mulieribus, gnari sint Materiæ ac Formæ, atque etiam intentionis, sine quibus Sacramentum constare non potest. 7. Denique cum in Fonte Baptismatis quasi modo geniti Infantes novam prorsus ac cœlestem vitam acquiramus, frequentiùs commoneat Parochus

chus

chus Fideles, ſuos, & coram explicet Divinos; nulloque pretio comparandos, quos per Baptiſmum fructus percipiunt, nimirum Baptiſmali latice ablutos non modo a Dæmonis poteſtate eripi, & ab Originali tabe perfectè convaleſcere, nam Dominus Jeſus ſecundum miſericordiam ſuam, ut ajebat Paulus (*ad Tit.* 3. *n.* 5.) ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis; Sed præterea per Baptiſmum tribui poteſtatem, filios Dei fieri, & non ex Sanguinibus, neque ex voluntate Carnis, neque ex voluntate viri, (*P. Joann. n.* 14.) Sed ex Deo naſci habituali Gratia ditatos, & glorioſo Filiorum Dei charactere fulgentes. Ex Cathechiſmo Romano, & Tridentino Concilio ſæpe de his publicè ac familiariter diſſerat. Quo fiet, ut altiſſimam de Baptiſmi Sacramento æſtimationem, & dignitatis ſuæ agnitionem in Chriſtiano Populo excitet, adeo ut in Dei militiam adſcripti, aſſiduè Chriſti Ducis veſtigijs atque exemplis inhæreant, ac Dei ipſius ſemper agnoſci velint Filij. Quamobrem laudandi ſunt, qui anniverſarium Baptiſmi ſui diem quotannis celebrant eleemoſynis, alijſque pijs operibus, ut ſponſionis quam in eo fecerunt, memoria inſtauretur.

Quartò. Obſtetricis munus exercentes, quibus nunquam liceat Baptiſmi Sacramentum Infantibus adminiſtrare, niſi urgente mortis diſcrimine, modum apprimè calleant, quo validè baptizarè poſſint Infantes in mortis periculo conſtitutos: Niſi teſtimonium de idoneitate habeant prævio examine a Parocho obtinendum, proprio ipſius *Chirographo* confirmatum, & duraturum ſolummodo ad annum, obſtetricis munere fungi non poſſint. Ad cujus rei obſervantiam, præcipimus, renovari ſingulis annis licentiam: aliter carentes prædicto Parochi teſtimonio, & non renovata ſingulis annis facultate fungendi munere obſtetricis, ſi nihilominus hujuſmodi munus exercere præſumpſerint, punientur pæna privationis Officij ad annum.

Quintò. Qui ſuſcipiunt Infantes in Sacro Fonte, Patrini ſic vulgo

vulgo appellati, noverint eam in Baptiſmo contrahi Spiritualem cognationem *(ex Cathechiſ. Rom. de Baptiſm. ſect. 20.)* qua impediatur inter eos Matrimonium, & cum Infante, quem de eodem Baptiſmali Fonte ſuſceperint. Nec mirum eſt, quia, ut egregiè docuit Angelicus Doctor, Vinculum, quod in regeneratione ſpirituali contrahitur, eſt aliquo modo naturale alicui, quatenus eſt membrum Eccleſiæ; Ea ſcilicet proportione, qua vinculum ex carnali generatione contractum eſt naturale homini, quatenus pars eſt Naturæ, & humanæ Societatis: etenim per Sacramentum recipit eſſe Spirituale gratiæ, ſicut ex carnis propagatione accipit eſſe Naturæ. Sed quoniam ex multiplici cognatione ſpirituali oriri non raro ſolent plura nec levia incommoda: idcirco ad vitandam hujuſmodi multiplicitatem, Plures non admittantur, ſed unus tantùm, ſive vir, ſive fœmina, vel duo ad ſummum, vir ſcilicet, & mulier *(juxta mentem Trid. Seſſ. 24. Cap. 2. de Reform.)* Suſceptores infantium ſine ulla pompa ad Sacrum Fontem accedant, ne quod verbis profiteri debent, facto ſuo negare velint, & Diaboli pompis ne dum nomine ſuſcepti Infantis, ſed etiam ſuo abrenuncient. Qui ad hoc munus admittuntur, intelligant, non eſſe nudum nomen, ſed gravem obligationem, eos, quos de Sacro Fonte ſuſceperint in Catholica Fide, & bonis moribus inſtituendi, eo ſcilicet caſu, quo illorum Parentes id præſtare aut neglexerint, aut alia de cauſa non potuerint: *(Cap. Vos ante, de Conſecrat. diſt. 4.)* Quamobrem ad id muneris ineptus eſt, qui præcipua ignorat noſtræ Sanctæ Fidei Myſteria. Peracta demum functione Baptiſmatis novum Fidelem ſuſcipiens deferat ante Altare, & ut novum ac Sacroſanctum militiæ genus, cui nomen dedit, nunquam ab eo deſerendum adprecetur, & legitimè certans uſque in finem, tandem Corona donetur.

Sextò. Sed ut ad Parochos redeamus: non dubitamus, quin diligentiſſimè adimpleant obligationem ſcribendi in decenti, & bene compacto libro cum ſuis integumentis *(Trid.*

Seſſ.

Seſſ. 24. *de Reform. Matrim. cap.* 2.) non autem in Libello, aut Folio, quod vento rapitur, Nomina Baptizatorum, eorumque Parentum, & Patrinorum, diem, & annum collati Baptiſmatis, & alia juxta formulam Ritualis Romani, accuratè ac ſtatim: nunquam vero, ultra diem, id facere differant, ſub pœnis arbitrio Noſtro reſervatis. Similiter libros habeant in quibus Nomina deſcribant Confirmatorum, Matrimoniorum, Defunctorum; ſibique perſuadeant, ex hujus Officij ommiſſione, aut negligentia, tanquam ex vitiata radice plurima, & gravia mala pullulare poſſe.

Septimò. Monemus, ne ultra tres dies infantium recens natorum Baptiſmus differatur: immo citiùs, mortis periculo impendente, conferatur. Quòd ſi ultra octavum diem protrahatur, pœnis arbitrio noſtro ſubjacebunt, ij, quorum culpa id evenerit. Infantium expoſitorum non mutetur nomen, ſi forte reperiatur in ſchedula eiſdem Infantibus appoſita expreſſum.

Octavò. Parochis notam eſſe non dubitamus Sacrorum Canonum diſpoſitionem *(Cap. Baptizandis, quæſt.* 1. *Cap. Quæcumque diſt.* 4. *de Conſecrat.)* qua ſeverè ipſis interdicitur, ne quidquam petant, aut exigere moliantur pro hujus Sacramenti adminiſtratione. Cerei ſponte delati ſacro ritu inflammentur, & ad Eccleſiæ uſum a Baptizante retineantur. Infantes Baptizati non deponantur ſuper Altare, quaſi redimendi oblatione aliqua ſeu eleemoſyna. Sic enim adminiſtrantibus ſancta ſanctè, ſpecies omnis damnabilis lucri, aut turpis quæſtus ab Eccleſia removebitur.

CAPUT SECUNDUM.

De Sacramento Confirmationis.

PRimò. Sacramentorum omnium Auctor Chriſtus Dominus noſter nedum in filios adoptare voluit Sacramento Baptiſmi, ſed etiam milites ſuos inſtituere Sacramento Confir-

firmationis, ac Spiritualibus armis instruere, galeà nempe salutis, scuto fidei, & loricà Justitiæ (*ad Ephes. cap. 6.*) Hæc enim arma cœlestia in Christianam militiam adscriptis debebantur, ut stare possent adversus insidias Diaboli, neque solum adversus Carnem, & Sanguinem colluctari, sed etiam adversus Mundi Rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ. Cum igitur tanti momenti res sit, necessarium duximus; Parochos, quorum hic quoque aliquæ partes esse debent, seriò commonere, ut ea, quæ ipsi facere, quæque alios docere tenentur diligentissimè præstent.

Secundò. Fideli populo aperiant hujus admirabilis Sacramenti excellentiam; præsertim verò cum ex litteris Nostris circularibus intellexerint, quando, & ubi unicuique Parœciæ administrandum sit, edisserant ut cum maximè, atque ubertim explicent Sacramenti hujus naturam, dignitatem, vim, utilitatemque plane singularem: quod mirificè præstitit Cathechismus Romanus (*part.* 2. *cap.* 3.), cujus normam, & doctrinam inoffenso pede Parochi prosequantur.

Tertiò. Doceant ex gemino liquore, oleo scilicet, & balsamo materiam constare Sacramenti Confirmationis, solemni ritu ab Episcopo consecratam, quæ propterea Chrisma appellatur. Hoc enim Sacro Chrysmate nos ex alto corroborat, atque confirmat Christus Dominus, tanquam Spirituales athletas inungens, & solemnibus Episcopi verbis consignans, ut omnia nequissimi hostis tela retundamus (*ad Ephes. 6.*) Oleum quippe pinguedine sua, gratiæ adumbrat plenitudinem, quæ a Christo Domino tanquam a Capite in Fideles, membra videlicet hujus corporis, quod est Ecclesia, fluit ac descendit. (*ad Ephes.* 5. *&* *ad Ephes. pr.*) Balsamum verò suavitatem virtutum significat, unde hoc Chrysmate inuncti, & confirmati dicere cum D. Paulo possint: (2. *Cor.* 2. *n.* 15.) Christi bonus odor sumus. Hinc in Baptismate Spiritus datur ad veniam peccatorum impetrandam, in Confirmatione ad victoriam ex hostibus reportandam: neque enim satis est,

ab iniquitatibus mundari, nisi etiam virtutibus instruamur.

Quartò. Explicent præterea Gregi suo ritum, quo in hujus Sacramenti collatione utitur Episcopus tanti Mysterij Minister: nam in primis Sacra unctione fidelium frontem consignat, eidemque Fronti Crucis imprimit signum, ut unde verecundia dignoscitur, ibi vigeat fortitudo, quà firmiùs suis hostibus obsistat. Ulterius maxilla cæditur, non solum ut Christianus infractus, & constans perdurare discat in adversis, verum etiam ut meminerit, se ejus militem esse, qui dedit percutienti se maxillam (*Hyrem. Tren. c.* 3.), & inimicos etiam visibiles, nedum præcepto, sed exemplo suo diligere docuit.

Quintò. Præsertim verò ostendant, per hoc Sacramentum indelebilem characterem ac notam imprimi in anima: adeoque sine sacrilegio reiterari non posse. Neque prætermittant, cognationem spiritualem eandem, quæ in baptismate, & inter easdem personas, hic quoque contrahi, & ex hac cognatione eosdem effectus consequi. (*Concil. Trid. Sess.* 2. *c.* 2. *de Reform.*)

Sextò. Cum autem ex hoc Sacramento tot commoda profluere, populum edocuerit Parochus, tunc demum intelligent Fideles, Sacramentum Confirmationis; Si non æquè necessarium, ac Baptisma, quantæ nihilominus utilitatis sit; proinde non modo negligendum non esse, aut nimiùm differendum, sed ardentibus votis expetendum, & summà cum pietate suscipiendum. Etenim plenè Christianus censeri non potest, qui adhuc careat Episcopali Confirmatione, per quam Spiritus Sancti plenitudo confertur.

Septimò. Recenter Confirmati describantur statim a Parochis in libro Confirmatorum, juxta normam Ritualis Romani in fine: quorum nomina cupimus pleno nostri cordis affectu in libro vitæ descripta, atque inter electos recensita.

CA-

CAPUT TERTIUM.

De Venerabili Sacramento Eucharistiæ.

PRimò. Ea fuit, tamque admirabilis Christi Domini erga nos benignitas, ut in Sacro Fonte ad novam vitam renatos, in Confirmatione adversus hostes armatos, cœlesti præterea nos cibos alere ac sustentare voluerit, ut in fortitudine cibi hujus ambulantes, ad montem Dei, ubi Hyerusalem illa, quæ sursum est, conspicitur, tandem perveniamus. Unigenitus siquidem Dei Filius, suæ Divinitatis volens nos esse participes, naturam nostram assumpsit: & hoc insuper, quod de nostro assumpsit, totum nobis contulit ad salutem: (*Divus Thomas in opusculo* 57.) Corpus namque suum in cibum, & sanguinem suum in potum, sub specie panis, & vini, sumendum Fidelibus dereliquit. In quo propterea augustissimo Eucharistiæ Sacramento ab eodem Christo Domino in ultima cum Discipulis Cœna ante passionem instituto, verè, realiter (*Concil. Trid. Sess.* 13. *c.* 1. *de SS. Euchar. Sacr.*) & substantialiter sub specie rerum sensibilium, panis, videlicet, & vini, Dominus Noster Jesus Christus verus Deus, & Homo continetur: ut nemo non videat, quanto jure Joannes Evangelista de ipso Domino testatus fuerit. Cum dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos (*Evang. Joann. cap.* 13.)

Secundò. Cum igitur præstantissimum omnium sit Venerabile Eucharistiæ Sacramentum ob veram, realemque præsentiam Jesu Christi Salvatoris Nostri, qui discessurus a Nobis, tamen esse nobiscum voluit, usque ad consummationem Sæculi (*Matth.* 28. 20.) peregrinationis nostræ socius, cibus, atque viaticum, eo etiam diligentiùs cavendum a nobis est, ut nequa cultus parte vacet, sive in locis, in quibus asservatur, sive cum Populo adorandum proponitur, sive cum esurien-

rientibus animis in escam datur, sive cum ad graviter laborantes defertur, ut sit armatura contra ignita Diaboli tela, & viaticum, quo refecti alacrius in vitam æternam ascendere possint. Ea igitur, qua Nos decet Pastorali cura permoti vehementer mandamus Parochis omnibus.

I. Ut curent diligenter, ne panni serici, quibus Tabernaculum, ac præsertim Pyxis vestita est, sordidi sint, situque obsiti: Ut Pyxis ipsa inaurata intus sit, & cum opus fuerit iterum inauretur, in qua quinque, aut sex particulæ asserventur; atque hæ octavo quoque die Æstate, Hyeme vero quintodecimo saltem renoventur. Cum adorationi fidelium, de Nostra Licentia, exponetur; Id omnino fiat ea majori, quæ adhiberi possit, reverentia, & decore, apparatu, & copia Luminum ad minus decem & octo, quam res tanti momenti requirit: nempe ut exterior ille ornamentorum, ac Luminum decor, atque actionis Majestas, excitatis fidelium sensibus, animum ipsum ad majorem spiritus fervorem, ac devotionem erga tam venerabile Sacramentum inflammet. Eo tamen die, quo recurrit Festum Sancti Tutelaris, aut Patroni alicujus Ecclesiæ, in ea non exponatur Christus Dominus in Eucharistia adorandus. Congruum quippe non est, ac proinde a Nobis vetitum, ea occasione exponi Venerabile Sacramentum: quasi obsequi videatur honori famulorum suorum supremus eorumdem Dominus Christus.

II. Sub finem autem Vesperarum, Festo illius Sancti veluti absoluto, ad excitandam Fidelium devotionem, juxta piam Superiorum temporum consuetudinem, exponi licebit Augustissimum Sacramentum, ac devoto populo benedictionem impertiri. Preterea cum novendiales dies, qui vulgò dici solent Novenę, quandoque instituantur, atque per eos dies fieri consueverit Venerabilis Sacramenti Expositio, ad avertendam scilicet humilibus, nec interruptis precibus Divinam Indignationem: si tunc Sancti alicujus celebritas contingat,

non

non erit vetita Sacramenti expositio: Tantum enim aberit, ut Dominus obsequatur Servo, quin potius suas in Cœlis preces jungat, Deoque offerat Sanctus ille, cujus memoria in terris colitur, nomenque in hunc ipsum finem invocatur.

III. Ut in publicis Sacramenti adorationibus strepitum omnem, atque tumultum ab Ecclesia prohibeant; neque permittant mendicos per eam vagari, & adorantium impedimento esse: neve ante Ecclesiæ januam, sacroque in loco consistere patiantur eos, qui bellaria, fructus, aliaque hujusmodi, aut etiam Orationes, imagines sanctas &c. vendunt; semper enim, sed eo præcipue tempore, Domus Dei Domus orationis esse debet, a qua omnes ementes, & vendentes eyciendi sunt.

IV. Neque ad sacram mensam admittant pueros, qui Sacrorum Mysteriorum capaces nondum sunt, aut diutius abesse patiantur eos, qui ætatem habent. Nemo autem admittatur, quin in ijs rebus, quæ scitu necessariæ sunt, eruditus sit. Intelligant igitur Parochi mandari a Nobis, ut quotannis, saltem Quadragesimæ diebus, domos Curæ suæ commissas circumeant, & diligenter describant eos, qui idonei eis videbuntur ad Sacram Synaxim: nec describant solum, sed unum in locum collectos tamdiu doceant, atque instituant, donec necessaria didicerint. Neque id solum pueris præstent; Sed dum Conciones habent in templo, Oves suas edoceant necessitatem, & modum, quo se ad hæc Divina pascua rite, sanctèque suscipienda disponere possint.

V. Ut curent, ne incomitatum Christi Corpus ad Infirmos deferatur; Sed hortentur populum ad hoc pium opus, & eos, qui commodè possunt, ut cum luminibus adsint. Solliciti sint, ut ab Ægrotis etiam Paschali præcepto satisfiat; propterea, si plures, & loco dissiti sint, distribuantur dies, quibus singulis salutaris hæc esca deferatur.

VI. Summopere cupimus, & vehementer hortamur fideles omnes Nostræ Diœcesis, ut tam Augustum Sacramentum,

in

in quo Author ipſe gratiæ ſe nobiſcum uſque ad conſummationem Sæculi permanſurum pollicetur, toto cordis affectu, ſummoque obſequio venerentur in Eccleſijs, ubi aſſervatur, præſertim verò dum publicæ Adorationi exponitur. Speramus autem, Deo ſic inſpirante, & adjuvante, Nos effecturos, ut ſingulis diebus in aliqua hujus Noſtræ Civitatis Eccleſia, in hunc finem a Nobis deſignanda, tam Venerabile Sacramentum ad excitandam Fidelium fidem, ac devotionem exponatur. Porro enixè monemus, & obteſtamur, ut ea præcipuè occaſione orationi unicę incumbant; colloquia prorſus vitent; multoque minus terga vertant Regi Regum in ſuo velut ſolio tunc reſidenti, ne iram provocent, dum ad ejus clementiam confugere ſtudent. Cum hoc Sacramentum ad Ægrotos deferendum fuerit; hortamur Sodales Societatis Corporis Chriſti Domini, & fideles omnes, præcipuè Nobiles Viros, ut audito Campanæ ſigno ad obſequia erga tantum Sacramentum properent, aperto capite, & cum accenſis luminibus. Niſi neceſſitas urgeat, non deferatur ad Infirmos ante ſolis ortum, neque poſt ſolis occaſum. In delatione autem tam Venerabilis Sacramenti, ſerventur, quoad per tempus licebit, eę Solemnitates reverentiam, & obſequium indicantes, quas Paſtorali Zelo innuit Innocentius Papa XII. S. M. in lib. Typis edito. Non ſervetur in aliqua Eccleſia, vel Oratorio Confratrum, niſi adſit Privilegium, cujus exiſtentia, & validitas fuerit a Nobis apprimè recognita. Non exponatur extra Tabernaculum, etiam ob cauſam publicam, niſi de licentia Noſtra. Dum Panis Divinus Fidelibus miniſtratur, non proponantur peluiculæ, nec locus aliquis eleemoſynæ preparetur, ne his veluti tacitis monitionibus Populus ad ſtipem conferendam invitari videatur. Omnis enim ſordidæ cupiditatis ſuſpicio evitanda eſt. Enixè autem Parochos adhortamur, ut quæ hic præſcripta ſunt, executioni fideliter mandari curent.

CA-

CAPUT QUARTUM.

De Sacrificio Missæ.

ADorabile, Tremendum, ac verè Propitiatorium Missę Sacrificium (*Conc. Trid. Sess.* 22. C. 2.) ab illo cruento, quod semel Christus Jesus in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversum, ad placandum Patrem, donumque Pœnitentiæ hominibus impetrandum, ac peccata etiam ingentia dimittenda institutum fuisse, atque in eo magnam victimam Filium Dei Salvatorem Nostrum invisibiliter immolari docet, & tenet Catholica Ecclesia. Quanta igitur cum Fide, quantoque cum tremore ad illud conficiendum accedere Sacerdotes debeant, sponte sua manifestum est: Atque id vehementer curavit Ecclesia, cœremonias adhibens ex Apostolica Traditione, quibus Sacrificij hujus Majestas etiam rudibus commendetur. (5. *Sess. d.*)

I. Igitur præcipimus ut vestes, Corporalia, aliaque hujusmodi, munda sint; cumque in ea indecens aliqua macula incurrerit, statim removeantur ab hoc munere.

II. Ut Parochi a subjectis sibi Sacerdotibus exigant, ut Missa celebretur ea devotione, pietate, ac Majestate, qua decet; (*Concil. Rom. sub Ben. XIII. tit.* 15. *C.* 1.) non autem raptim, & confusè. Cum enim invisibilia Dei per visibilia Religionis, ac pietatis signa, quæ cœremoniarum nomine censentur, intellectu conspiciantur; Adstantium mens per Celebrantis devotionem in altissimarum harum rerum contemplationem erigetur.

III. Ut prohibeantur a Missæ Celebratione ij, qui palam criminosi, atque scandalosi sunt. Qui nihilominus ad Altare accedere præsumpserint, intelligant se pœnis arbitrio Nostro injungendis acerrimè punitum iri.

IV. Non permittant in Ecclesia eorum Curę tradità, Missam

ſam celebrare Sacerdotes vagos, niſi Ordinariorum ſuorum patentes litteras exhibuerint.

V. Populum aliquando doceant Sacrificij hujus dignitatem, quàmque criminoſum, & damnabile ſit huic irreligiosè intereſſe.

CAPUT QUINTUM.

De Sacramento Pœnitentię.

JEſus Chriſtus benigniſſimus Salvator Noſter, atque miſericordiarum Pater, prævidens multos innocentiæ ſtolam laceraturos eſſe, animamque ſuam, Agni ſanguine in Baptiſmo dealbatam fœdiſſimè conſpurcaturos, Sacramentum Pœnitentiæ, quaſi aliud quoddam lavacrum pro ſua miſeratione inſtituit, in quo conſcientiæ ſuæ maculas eluere poſſent. Porro hoc Sacramentum laborioſum quemdam Baptiſmum à Sanctis Patribus vocari accepimus, propterea quod ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, Divina id exigente juſtitia, ad ammiſſam gratiam per Pœnitentię Sacramentum recuperandam pervenire nunquam poſſumus. (*Concil. Trid. cap.* 2. *Seſs.* 14.)

I. Cum verò in judicij ſpeciem hoc Sacramentum ſit inſtitutum; alia ſunt, quæ ad Judicem, nimirum ad Sacerdotem, alia quæ ad Reum, nimirum ad Pœnitentem, pertinent. Ne igitur aut ſine fructu, aut etiam gravioribus Sacrilegij vinculis adſtricti Rei ab hoc Judicio diſcedant; Parochi noverint ſuas partes eſſe, ſibique gravem obligationem incumbere docendi clare, atque etiam frequenter in Cathecheſi animas ſuæ Curæ commiſſas, atque concreditas res neceſſarias, & modum, quo ad gratiam in hoc Sacramento impetrandam diſponere ſe debent, juxta methodum, quæ in Concilio Romano expreſſa eſt. (*Appendice* 29. *parte prima.*)

II. In audiendis confeſſionibus, ſi viderint Pœnitentes eſ-

ſe

ſe parum diſpoſitos, curent ante abſolutionem eos diſponere; illorum animos ad dolorem, & firmum propoſitum excitando, propoſita peccatorum turpitudine, gehennæ ſupplicio, aut etiam offenſi Dei bonitate: Leniter tamen, & cum omni patientia, ne Pœnitentes potius a Medicina, quàm a Morbo deterreantur. Hanc autem curam in imperitis præſertim, & Fæminis audiendis adhibeant.

III. Sint prudentes in Pœnitentibus interrogandis; nec plus ſcire velint, quàm ſcire oporteat: Reorumque pudori, quantum fieri poteſt, parcant; ne illis Judicij hujus horror incutiatur.

IV. Caveant, ne quem a caſibus reſervatis abſolvant, niſi in mortis articulo conſtitutum; vel Noſtra, in caſibus Nobis reſervatis, impetrata licentia.

V. Fideles omnes Noſtræ Diœceſis diſtriƈtè monemus, unumquemque pro munere ſuo, ut ſi contingat, ſuorum domeſticorum aliquem ægrotare, non negligat, qui Familiam regit, certiorem facere Parochum ſuum. Is autem, accepta notitia, ſollicitè quamprimum poterit, ægrotantem adeat; ad Pœnitentiæ Sacramentum paterna Charitate hortetur; ne unquam eveniat, ægrum ob culpabilem moram deſtitui ſenſibus, & magno Animæ detrimento incapacem Sacramentorum reddi.

Præterquàm quòd expiata a Culpis anima, ſtatim quies animi, nec raro ſalus corporis redit.

VI. Si periculosè, ac præcipiti Spe laborantem invenerit, tunc ſuaviter, ac prudenter admoneat, ut humanis curis poſthabitis, aut quamprimum expeditis, ſe totum ad Cœleſtium, & æternorum cogitationem convertat. Tunc pœnitentiæ Sacramento diligenter expiatum abſolvat etiam ab omnibus peccatis reſervatis, & ab Eccleſiaſticis Cenſuris, fide tamen accepta, impleturum quod debet, ſi convaluerit, eoſque aditurum, quibus Cenſuræ ſunt reſervatæ.

VIII. Cœterum quælibet Parochialis habeat unum ſaltem

F Con-

Confessionale in locis conspicuis : Plebana, & Archipręsbyteralis Duo : Oratoria privata nullum, nisi de licentia Nostra in scriptis.

CAPUT SEXTUM.

De Casibus Reservatis.

CASUS, ET CENSURÆ RESERVATÆ.

I. BLasphemia hæreticalis. Adoratio, & Invocatio Dæmonis expressa. Maleficium, necnon quælibet superstitio, quę fiat cum Sacramentorum, aut Sacramentalium abusu.

II. Incestus in primo vel secundo Consanguinitatis, vel primo Affinitatis gradu.

III. Bestialitas.

IV. Sodomia completa, sive activa, sive passiva, etiam cum Mulieribus, reservatur, quod Masculos tantùm, ultra pubertatis Annos.

V. Copula carnalis cum Cognatis cognatione Spirituali, contracta tum in Baptismo, tum in Confirmatione.

VI. Quæcumque Copula carnalis, etiam incompleta cum Judæis, vel Infidelibus.

VII. Lenocinium contra propriæ Filiæ, vel Uxoris honorem, etiam sine Quæstu.

VIII. Stuprum Virginum, &c. cum promissione Matrimonij.

IX. Obscęnitates, aliave crimina cum Monialibus, sive alijs Fœminis in Clausura degentibus, quomodolibet commissa, vel tentata, Necnon verba obscæna. Quamvis allocutio cum Monialibus, vel alijs Fœminis in Monasterio degentibus, sine Ordinarij licentia, aut cum licentia subreptitia,

vel

vel obreptitia, a Prædecessoribus Nostris reservata fuerit cum Excommunicatione Latæ Sententiæ, etiamsi non ad malum finem: Nos tamen declaramus reservatam tantummodo si ad malum finem. Item accessus Virorum ad Januas apertas, & ad fenestellas sine cratè, sine licentia, aut cum licentia subreptitia, vel obreptitia, etiamsi non sit ad malum finem.

X. Homicidium præmeditatum, quoad Mandantes, Consulentes, vel Exequentes.

XI. Abortus de Industria procuratus, qui si sit Fœtus Animati, habet adnexam Excommunicationem à S. M. Gregorio XIV. Ordinarijs reservatam.

XII. Negligentia Notariorum, non denunciantium infra tres Menses à die Mortis Testatoris Cancellario Curiæ Episcopalis Legata pia, Institutiones, vel substitutiones pias.

MONITA AD CONFESSARIOS.

SCiant Confessarij omnes, se nullam habere facultatem absolvendi suas, vel suos Complices ejusdem peccati mortalis in materia sexti Præcepti Decalogi.

CAPUT SEPTIMUM.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CUm Adversarius noster Diabolus toto vitæ tempore animas nostras devorare quærat; *(Trid. Sess. 14. de Sacram. Extr. Unct.)* vehementius tamen id studet in extremo Mortis periculo. Quamobrem Extremæ Unctionis Sacramento, vitæ nostræ finem, tanquam firmissimo quoddam præsidio Redemptor noster munivit. Scimus enim Sacræ hujus unctionis effectum esse, non solum peccata, si qua sunt, expianda abstergere; Sed etiam ægroti animam allevare, & contra Dæmonum impetus confirmare: præterea sanitatem corporis in-

interdum, ubi animæ expedierit, restituere. (*Cap.* 2.)

I. Tempus Unctionis hujus adhibendæ illud esse docet (*Concilium Tridentinum Cap.* 3.) cum ægrotus tam periculosè decumbit, ut in exitu vitæ constitutus esse videatur: Quod tamen non ita intelligendum est, ut Sacri Olei hujus ministrationem usque eo differre Parochi debeant, dum Infirmus, sensibus deperditis, quid secum agatur, neque videt, neque intelligit, neque hoc Sacramentum reverenter suscipere potest.

II. Curent Parochi, ut ij, qui Sacro Oleo inungendi sunt Confessionem præmittant, & Communionem. Nec propterea negandum erit repentino aliquo morbo, vel ictu oppressis, etiamsi illa præmitti non possint, dummodo adhuc vivere certò credantur, & ex aliqua significatione appareat eos voluisse illud suscipere.

III. Qui Sacramentum hoc ministrat, pura veste linea, & stola violacea indutus sit, comitemque habeat, si fieri possit, saltem Clericum unum, qui sibi ministranti necessariam operam præstet.

IV. Unctio hæc non reiterabitur in eodem periculo positis: nec furiosis, nec impœnitentibus, neque ijs, quibus integra est valetudo, etiamsi grave aliquod vitæ periculum sint adituri, administrabitur.

CAPUT OCTAVUM.

De Sacramento Ordinis.

DIvina prorsus res, est Sacerdotij Ministerium, in quo Hominibus potestas traditur in Christi Corpus cùm reale, tùm Mysticum (*Concil. Trid. Sess.* 23. *c.* 1.) Pertinet enim ad Sacerdotes facultas consecrandi, offerendi, & ministrandi Redemptoris Nostri Corpus, & Sanguinem, necnon peccata solvendi, & retinendi: Dictum ergo sibi Sacerdotes putent, quod Apostolis dictum in Evangelio Legimus: Vos estis

eſtis Lux Mundi: Vos eſtis ſal terrę; immo quod cecinit David: Ego dixi Dij eſtis, & Filij excelſi omnes: ut in cujus Miniſterij partem electi, vocatique ſint, diu multumque reputantes, in priorem vilitatem degeneri converſatione redire perhorreſcant. Neque tamen ij ſolum, qui jam tremendis hiſce Myſterijs initiati ſunt, debent toto pectore cogitare, quantum ſibi onus contraxerint; Sed illos etiam qui eidem oneri ſubire deſiderant, id verſare cum animis ſuis frequenter, & maturè oportet.

I. Igitur ante præſtituta Ordinationibus tempora, qui Sacris Ordinibus ſunt initiandi, re prius ſecum seriò perpenſa, non alicujus minis aut imperio coacti; non quietius, beatiuſque vivendi ſpe illecti; ſed ſe Deo vocanti dedicandi deſiderio permoti, aut nos ipſos, aut a Nobis deputatos, Vicarioſque Noſtros adibunt, ſuamque voluntatem ſignificabunt; poſcentibuſque nobis, animi, & ingenij rationem reddent.

II. Clerici ſive Sæculares, ſive Regulares Diœceſi Noſtrę ſubjecti, cum ad Ordines petendos venient, ſuperiorum ſuorum patentes litteras ſecum deferant ab ipſis conſignatas, quę & obtentę facultatis, & vitæ, morum, ingenijque ac doctrinæ candidatorum Fidem faciant. Qui verò ex alienis Diœceſibus advenerint, Epiſcoporum ſuorum Litteras deferant, ex quibus de moribus, doctrina, deque Patrimonio (ſi Patrimonij titulo ordinandi erunt) certiores fieri poſſimus.

III. Si quis Patrimonium confingere auſus fuerit, ſuſpenſionis pœnam incurrat ipſo facto. Porro hoc Patrimonium immune eſſe volumus ab omni omnino onere.

IV. Parochi Clericorum ſuorum moribus invigilent; & ſi quem indignum viderint, qui ad majores ordines promoveatur, Nos ſedulo admoneant: Etenim verendum magnopere eſt, ne mali Clerici, peſſimi futuri ſint Sacerdotes, dignitatemque ſuam dehoneſtaturi.

CA-

CAPUT NONUM.

De Sacramento Matrimonij.

ARctissimum esse Matrimonij vinculum, jam tum, à Mundi exordio, Adam testatus est, (*Gen.* 2. 24.) cum per illud ex duabus unam carnem effici dixit, & propter uxorem suam, Patrem, & Matrem ab Homine relictum iri pronunciavit. Porrò nexus iste, qui ante Parentis nostri peccatum ad naturæ propagationem, solatiumque humanitatis Divinitus institutus fuit, post peccatum verò in veteri Lege ad concupiscentiæ remedium acceptus; ubi venit plenitudo temporis, Sacramenti dignitate à Christo Salvatore Nostro decoratus fuit, (*Concil. Trid. Sess.* 24. *Can.* 1.) in quo, sicut in reliquis Sacramentis, supernaturalis gratia, ex opere operato rite suscipientibus conferretur.

I. Ne igitur tanti Mysterij inscij homines ad illud, tanquam ad humanum aliquod opus aggrediantur, Fideles a se Matrimonio jungendos Parochus edocebit, quanta sit Sacramenti hujus dignitas, & quanta cum reverentia suscipiendum, tractandumque sit.

II. Servet Parochus diligenter tempora, quibus Nuptiarum Solemnia prohibentur, & publicationes a Concilio Tridentino præscriptas (*de Reformat. Matrim. c.* 1.), tribus continuis diebus festis; post quas, si quatuor Menses elabantur ante Matrimonij celebrationem, iterum habeantur.

III. Illud etiam magnopere a Parochis cavendum esse præcipit Concilium Tridentinum (*ibid. c.* 7.) ne homines vagos Matrimonio conjungant, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam faciendi obtinuerint.

IV. Ut autem Poligamiæ crimini occurratur, mandamus Parochis, ut ab ignotis hominibus, qui in sua Diœcesi Domici-

micilium figent, Fidem exigat, eam, quam uxoris loco habent, verè sibi esse, atque legitimè Matrimonio conjunctam.

V. Noverint Sacerdotes omnes sibi esse a Concilio Tridentino (*ibidem c.* 1.) interdictum sub pœna suspensionis, sponsos sine Parochi, aut Ordinarij licentia Matrimonio conjungere. Conjugum verò, & testium nomina, dies, & locus contracti Matrimonij diligenter in libro describantur, quem Parochus apud se custodiet.

VI. Si quem, Concubinam habere noverint, & ter admonitum eam non ejecisse; ad Nos statim deferant, ut eo excommunicationis fulmine, quo puniendus est, (*ibidem cap.* 8.) a Nobis feriri possit.

VII. Occasione celebrationis Sponsalium seu Matrimonij de futuro, districtè præcipimus Parochis ne Sæcularium Domos adeant, ut ibi munus testium exerceant, cum id in Ecclesia omnino fieri debeat, non solum ad dignitatem servandam ejus Sacramenti, quod testante Apostolo magnum est in Christo, & Ecclesia, & ad quod Sponsus, & Sponsa disponere se intendunt; sed etiam in hunc finem, ut Parochi dignoscant utrum contrahentes Matrimonium, de futuro celebrandum, sufficientem habeant Mysteriorum fidei notitiam. Quod si Contractus hujusmodi ex aliqua vera, & necessaria causa non autem fictitia fieri contingeret in Sæcularium Domo, jubemus Parochos ab ea recedere, statim atque consensum utriusque Sponsi receperint: Neque ullo prætextu ibi moram diutius faciant, aut eorum Epulis, sive alijs Sæcularis lętitiæ significationibus præsentes esse audeant sub pœna scutorum sex in beneficium pauperum ejus Parœciæ à Nobis destinandorum.

VIII. Omnino servetur Sacri Concilij Tridentini Decretum de Reform. c. pr., quo Sacri Lateranensis Concilij sub Innocentio III. celebrati vestigijs inhærendo, præcipitur, ut antequam Matrimonium contrahatur, a proprio Contrahentium Parocho tribus continuis diebus Festivis in Ecclesia inter

ter

ter Missarum solemnia publicè ter denuncietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum. Quo tempore ij, quibus constiterit de aliquo impedimento, Parocho illud exponant; Neque exponere differant, sive dolo, sive alterius pravæ affectionis, odij, vel invidiæ impulsu: Ne dum maligno animo impedimentum opponere distulerint, aliquod postea scandalum oriatur, eo tandem die quo ad celebrationem Matrimonij in facie Ecclesiæ proceditur. Transgressoribus pœnam imponemus (pro mensura delicti, & arbitrio Nostro.)

CAPUT DECIMUM.

De Aqua Benedicta.

CUm Hominibus sub antiqua Lege positis omnia in figura contigisse dicat Apostolus; non immeritò aquam benedictam, qua Christiani utuntur, figuratam esse asserimus ab ea aqua, quam ante ostium Tabernaculi asservari jubebat.

I. Nemo igitur Sacrum hunc ritum, naturalem aquam benedicendi, eaque utendi, qui in Ecclesia Traditione Apostolica invalvit, contemnere audeat; Sed pie, & cum dolore peccatorum eam adhibeat ad Leviores conscientiæ suę maculas eluendas.

II. Parochi verò curent, ut in ipso Ecclesiæ vestibulo asservetur semper hujusmodi aqua in Lapideo vase; atque identidem labro purgato a sordibus renovetur, & a Sacerdote superpelliceo, stolaque induto benedicatur. Hortentur etiam Patres Familias, ut decenter eam Domi asservent, eàque se ipsos, familiamque suam quotidie lustrent; valet enim cùm ad animorum sordes purgandas, tum ad propulsandas Dæmonum injurias.

CA-

CAPUT UNDECIMUM.

De Exorcismis.

COntra nequissimos Tartareos hostes, qui non animam modo, sed etiam corpus perdere student, Exorcismi ab Ecclesia sanctè, sapienterque instituti sunt. Sed contra callidissimos, eosdemque fortissimos spiritus tenebrarum feliciter colluctari non omnibus datum est. Cùm morum sanctimoniam, tùm etiam doctrinam opus est inesse in ijs, qui dignissimum hoc munus sibi sumere volunt.

I. Nemo igitur ab Energumenis infestos spiritus eijcere aggrediatur, nisi a Nobis prius obtenta facultate; neque alijs inter exorcizandum precibus utatur, nisi ijs, quæ in Rituali Romano descriptæ sunt: Nusquam vero officio hoc fungatur, nisi in Ecclesia januis clausis, nullisque adhibitis nisi consanguineis, paucisque alijs probatæ vitæ viris, atque provectæ ætatis.

II. Reputet diligenter, quæ Christus dixit, malum Dæmoniorum genus non eijci, nisi in oratione, & jejunio. Quapropter hortamur eos, qui hoc sibi sumunt, ut pridie quàm exorcizaturi sunt, jejunio corpus doment, & assiduis precibus Divinam opem postulent.

III. Caveant, præsertim in Fœminis, ne naturali potius ægritudine, quàm maligno Spiritu vexetur Energumenus: & si opus fuerit, Medicos etiam in consilium adhibeant.

CAPUT DUODECIMUM.

De Indulgentijs.

INdulgentiæ rectè appellantur à Concilio Tridentino (*Sess.* 21. *c.* 9.) Cœlestes Ecclesiæ Thesauri; non enim terrenorum thesaurorum more, sumendo exhauriuntur, cum præ-

G ter

ter Virginis Beatiſſimæ, atque reliquorum Sanctorum innumerabilia merita, inſuper infinita, atque prorſus inexhauribilia Jeſu Chriſti Salvatoris Noſtri merita contineant. Omnes igitur Chriſtifideles curæ Noſtræ commiſſos Paſtorali ſtudio hortamur, ut ſolliciti ſint in cœleſtibus hiſce opibus comparandis, ut pro temporali pœna, eorum peccatis debita, ſatisfacere Deo poſſint, citiuſque poſt mortem in cœleſtem locum evolare. Parochis vero mandamus ut cum aliqua, ſive à Romano Pontifice, ſive à Nobis Indulgentia emanaverit, die Feſto, inter Miſſarum ſolemnia Populum de ea edoceant, deque rebus neceſſarijs ad eam conſequendam. Quicumque vero Indulgentiam aliquam à Romano Pontifice impetrabit, non antea eam promulget; ſub quovis privilegij prętextu, quàm à Nobis, aut Generali Vicario Noſtro recognoſcatur.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Divinis Officijs, & eorum Ordine.

MIrum eſt, quanto ſtudio, & quàm multis in locis Sanctæ Scripturæ, Sanctique Patres ad divina Officia, in quibus aut infinita Dei Majeſtas colitur, aut pro collatis donis gratiæ aguntur, aut Divinum auxilium, Deique miſericordia imploratur, piè, devotèque recitanda nos impellant. Addidit, & Romana Eccleſia ritus quamplurimos ut per viſibilia Religionis, ac pietatis ſigna ad inviſibilium, rerum contemplationem excitemur; & torpentes animi noſtri ad devotionem erigantur: Curent igitur Sacerdotes omnes, ut in Divinis Officijs peragendis, voce, geſtu, habitu corporis, modeſtia, atque extrema omnium membrorum compoſitione adſtantibus Laicis ſe Dei Miniſtros exhibeant, animique pietatem, atque ſubmiſſionem ſignificent, & Divinorum ipſorum Officiorum excellentiam, religionemque commendent.

Ita-

Itaque indignum abusum damnamus, & severis etiam pœnis, si ad Nos nomina deferentur, puniemus eorum, qui quasi ad ludicrum aliquod spectaculum, incomposité sedent, huc atque illuc caput, oculosque voluunt, cum vicinis fabulantur, & Divinas preces, Psalmosque abliguriunt verius, quam recitent, atque modulentur.

Quod verò ad Divinorum Officiorum ordinem spectat, Romani Concilij (*sub Benedict. XIII. Tit.* 15. *c.* 7.) menti inhærentes, districtè prohibemus, ne quis alijs utatur ritibus, quàm ijs, qui in Romani Missalis Rubricis, Breviarij, & Ritualis descripti sunt.

CAP. DECIMUM QUARTUM.

De Chori Disciplina.

ILli omnes, ad quos spectat Choro interesse, antequam è Sacristia exeant, Sacris vestibus juxta cujusque munus, & gradum decenter induantur; cum vero exeunt in Chorum, non confusè, & indiscriminatim, sed certo ordine, & devotè procedant. Ubi ad locum suum quisque venerit, flexis genibus, oret, donec Officij incipiendi tempus accedat. Canonico aliquo, officij causa, surgente, omnes assurgant. Abstineant omnes in Choro a legendis litteris; & quod damnabilius esset, folijs ijs, in quibus Urbium exterarum eventus referuntur; meminerint Domum Dei esse Domum Orationis, eamque, Sanctitudinem decere. Nemo, è Choro discedat, nisi à Præfecto ejusdem Chori petita exeundi facultate.

CAP. DECIMUM QUINTUM.

De Punctatoribus.

PUnctatores satis est admonere juramenti, quo se obstrinxerunt, fideliter, sanctèque observandi, quæ à muneris sui legibus perscribuntur. Redeant igitur in mentem susceptæ obligationes, & omni prorsus humano respectu abjecto, omnique aut metu, aut amicitia, aut odio, aut spe, nec eos notent, qui notari minime merentur, neque eos prętermittant, qui notandi sunt; alioquin sibi onus incumbere intelligant, ijs satisfaciendi, quibus damnum aliquod ex illorum, aut notatione, aut negligentia illatum erit. Illud etiam commovere eos, atque excitare maximè debet, quod eorum diligentia, vel negligentia, Chori universi disciplina, atque honor, qui Deo ex Sacris Officijs provenit, continetur. Quamobrem serio invigilent, ut non solum præstitutis horis ab ijs, qui reddere tenentur, Sacrorum Officiorum Dei tributum persolvatur; Sed etiam, ut ea devotione, pietateque, qua par est, persolvatur.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De Organis, & Cantibus.

PRo eo autem quod ad Musicam in Ecclesijs spectat; laudabilis omnino mos est, Divinas Laudes, tùm voce, tùm Musicis instrumentis modulandi, ad quos, Nos toties, ac tùm multis in locis Regius Psaltes hortatur, sed pręsertim *Psalmo* 150. *Laudate eum in sono Tubæ, laudate eum in Psalterio, & Cithara: Laudate eum in timpano, & Choro, laudate eum in chordis, & Organo.*

Cavendum tamen est, ne quod vitium in hoc pium munus

nus incurrat, quod Fideles ab eo pietatis ſtudio audientes avocet, quod augeri magis, atque incaleſcere deberet. Sapienter igitur, Sanctèque cautum eſt in Concilio Romano, (*Tit.* 15. *c.* 6.(& Nos ſeveriſſimè obſervari volumus, ut cohibeantur Muſicæ Magiſtri, Organiſtæ, & Cantores, alijque hujuſmodi à quibuſcumque in Eccleſia cantilenis, & indecoris modulationibus, quibus videantur Fidelium magis auribus prurire, quàm pios in Deum affectus excitare.

Cantiunculas Italico ſermone, & carmine compactas, omnino ab Eccleſiis ut arceantur, præcipimus; redolent enim Theatralem conventum, & ſcenam potius (*Ibidem*) quàm Dei Domum, pietate, atque honeſtate plenam; Ulteriuſque prohibendum ducimus, ne in Defunctorum Miſſis pulſentur Organa, neque in Adventu, & Quadrageſima: diebus feſtis Quadrageſimæ, & Adventus dumtaxat exceptis.

CAP. DECIMUM SEPTIMUM.

De Proceſſionibus.

PUblicis ſupplicationibus, aut Divinam opem implorare, aut pro collatis donis gratias agere de Jure Gentium eſſe videtur, cum ſciamus, Æthnicos ipſos, & Barbaros, morem hunc tanquam ab ipſa natura hauſiſſe. In ijs igitur Proceſſionibus, quibus à Nobis verus Deus colitur, cavendum eſt, ne turpiter ab illis ſuperemur, qui falſis Dijs honorem tribuebant. Quod tamen fieret, ſi non eo ſilentio, modeſtia, atque pietate, quam res ipſa ſpontè ſua poſtulat; peragerentur.

I. Non patiantur Parochi, ut uno agmine viri, atque fœminæ prrocedant; ſed fiat ſeparatio, interjecta Cruce, quę à maturo aliquo viro, cum duobus Cuſtodibus, ſuperpelliceo induto deferatur.

II. A nocturnis Proceſſionibus, quæ tamen ſine facultate

à No-

à Nobis impetrata, nunquam fieri debebunt, fœminas omnino amotas volumus.

III. In ſolemnibus Corporis Chriſti Proceſſionibus non ſolum ea diligenter obſervari volumus, quæ à Prædeceſſoribus Noſtris cauta ſunt; ſed etiam quod Romanum Concilium præcipit, ut curent Parochi per eos ad quos pertinet, quatuor ſaltem decentes laternas cum ſuis haſtis comparari, & cum ſuis intus accenſis candelis hinc inde circa celebrantem, qui Sacramentum geſtat, deferri; *Conc. Rom. Tit.* 15. *c.* 7.) ne, ſi ea, quæ aperta deferuntur, vento aut pluvia improvisò ſuperveniente, (quod non rarò fit,) extincta remaneant; debita lumina deſiderentur.

IV. Indecentiſſimum porrò eſt, quod magno animi Noſtri dolore interdum audivimus, plures utriuſque ſexus ad ſolemnes Proceſſiones quaſi ad profana ſpectacula accurrere, Veſtium ornatu, ac pompa, damnabilem potius vanitatem quàm Chriſtianam modeſtiam præſeferentes, ex propinquarum habitationum feneſtris Populo ſe oſtentare, ſermocinationes, ac ſtrepitus miſcere. Hujuſmodi autem improbi mores quantum ſint fidelibus indigni, ac Deo injurij, nemo non videt; quamvis in prædictis ſupplicationibus Venerabile Sacramentum non deferatur. Quamobrem muneris noſtri erit admonere eorum licentiam; qui non levi gregis Noſtri, & Eccleſiæ ſcandalo Majeſtatem Dei ad indignationem provocant, cum lenire deberent precibus, modeſtia, & religione.

V. Iiſdem ſolemnibus Corporis Chriſti Proceſſionibus, necnon illis, quæ Rogationum tempore haberi ubique conſueſcunt, Sacerdotes omnes, omneſque Clericos tùm Sacris initiatos, tùm in Minoribus conſtitutos ejus Paræcię, diligenter, & modeſtè intereſſe, congruum planè eſt, immò ſcandaloſa abſentia, quamquam ratio, & æquitas poſtularet, ut quoties Parochus Proceſſionem indicit, adſint præſtituta die & hora, omnes, qui Clericalem Habitum geſtantes, ſacro ejuſdem Eccleſiæ ſervitio adſcripti ſunt.

VI.

VI. In quacumque ſupplicatione hujus Noſtræ Civitatis, & Diœceſis, diſtrictè prohibemus, ne ullo modo tolerentur homines armati, qui ſi Arma deponere nolint, interdicta ipſo facto maneat quæcumque Proceſſio.

CAP. DECIMUM OCTAVUM.

De Funeribus, & Sepolturis.

SAcra Scriptura Tobiam Laudans, qui contribulibus ſuis vita functis tumulandis operam dabat, valde pium, ac Deo gratum, & charitati conſonum morem eſſe oſtendit, mortuorum cadavera tumulandi. Ab hoc autem pio munere cœremonias omnino omnes amotas eſſe volumus, quæ Æthnicam potius ſuperſtitionem, quàm Chriſtianam Religionem redolere videntur.

I. Itaque flores, mortuorum capitibus ne implicentur, niſi forte, aut Pueri fuerint, aut Puellæ Virgines, juxta Pauli Apoſtoli pręceptum. Indecori Ejulatus, & lamentationes prohibeantur, quæ earum gentium propriæ ſunt, quæ ſpem non habent. Convivia etiam, ſonos, atque Choreas ducendi deteſtabilem morem, in domibus in quibus mortui alicujus Cadaver aſſervatur, omnino interdicimus, & evelli jubemus. Quamprimum Parochi ad Altare exponant Populo Decretum hoc Noſtrum, & Mandatum, quo abuſum hujuſmodi Chriſtiano nomine indignum prohibemus, ſub pœna ſcutorum decem, pauperibus erogandà, ipſis quoque receptantibus. Eorundem Parochorum conſcientiam oneramus, ut Tranſgreſſores Nobis denuncient.

II. Caveant Parochi, atque alij Sacerdotes in Funeribus ab omni ſimoniæ ſpecie: Pauperes verò gratis tumulentur.

III. Regulares, in quorum Eccleſijs eorum Cadavera humantur, qui ibi ſepulturam ſibi elegerunt, quartam funeralem Parochis dare teneantur (*Conc. Rom. ſub Bened. XIII. Tit. 8. c. 5.*)

&

(*& in Appendice ejusdem Conc. Constit. V.*) & quartam etiam partem Intorticiorum, & Candelarum, quæ ipsamet peracti funeris die, in Ecclesia, ubi Defunctus humatus est, circa Cœnotaphium, atque etiam in Altaribus ejusdem Ecclesiæ accensæ fuerint; Quod attinet ad Funera, quæ in Parochialibus Ecclesijs fiunt Nostræ Diœcesis; sublata varietate Taxæ, quæ diversis in locis inoleverat; servetur Taxa illa communior, à Nobis approbata, & statuta in Edicto, quod in hujus Synodi Calce apponetur.

IV. In Ecclesijs ad ponenda sepulcra, ne effodiatur, nisi petita à Nobis facdltate. Ipsa verò sepulcra marmoreo Lapide operiantur ad impediendum gravem halitum: Et Lapides ipsi Ecclesiæ pavimento æquati sint.

CAPUT DECIMUM NONUM.

De Campanis, & Signis dandis.

QUod Tubis fieri jussit Deus per Joelem Prophetam, scilicet ut ad Deum colendum cœtus Congregaretur, id nos Campanis facimus. Cum igitur in Sacros usus earum sonus institutus sit, sacras eas etiam esse oportet. Nemo igitur in Turribus Ecclesiarum Campanas statuat, nisi antea ritè benedictas; à nemine autem benedicentur, nisi ab Episcopo. In omnibus Paręcijs certo cuidam Homini stipendium assignetur, cujus sit, statutis, opportunisque temporibus Campanas pulsare. Apud eum, & apud Parochum sint Turrium Claves; quę Turres claudendæ erunt, ne cuilibet liceat pro arbitrio ingredi ad Campanas pulsandas. Imminente Fœda aliqua tempestate solliciti sint Campanarij ad munus suum exequendum; Sacri enim Æris sonitu, aereę potestates disperduntur, & precibus, quas tunc temporis, audito Campanarum sonitu, Christifideles fundere ad Deum solent. Quo tempore Concio in Ecclesia habebitur, ab illis pulsandis abstineant, ne Sacro Oratori, & Auditoribus incommodetur.

CON-



CONSTITUTIONUM
SYNODALIUM FERRARIEN.
Pars Tertia.

CAPUT PRIMUM.

De Sacrosanctis Ecclesijs.



Uamquam Terra, Cœlumque universum Dei Templum nuncupari meritò possit, propterea quod totius Universitatis Princeps, ac Parens Deus ubique diffusus; loca omnia præsentia sua implet, ac permeat; tamen certos quosdam locos sibi Deus optavit, cæteras Orbis partes nobis fruendas concedens. Itaque templa, in quibus præcipuo quoddam, ac peculiari modo Deus habitat, Domos suas esse voluit; ut intelligeremus, si principum virorum ędes colimus, & veneramur; quanto magis colendæ, verendæque sint Dei Domus, & Cœli Portæ. Nihil enim aliud Ecclesiæ sunt, quàm Domus Dei, & Porta Cœli.

I. Procuranda igitur in primis est earum munditiES, de-

cor, atque ornatus; propterea, si quod horum aut temporum injuria, aut Parochorum negligentia dilapsum esset, refici statim mandamus, & in pristinam dignitatem restitui; Tabernacula præsertim, Reliquiarum Sacrarum Vascula, Olei Sancti custodias, Pœnitentiæ Tribunalia, Aras etiam, in quibus offertur Deo oblatio munda Unigenitus Filius ejus Jesus Christus. Discruciamur enim, ut par est, atque magnopere angimur, cum commodius, lautiusque habitare Parochos aliquando intelligimus, quam Deum ipsum in Ecclesijs eorum curæ concreditis: optimoque jure veremur, ne tempestatum inclementia, aquarum eluviones, agrorum vastitates, quibus premuntur Populi, huc referendæ sint: sicut Deus minatus est per Prophetam: = Quia Domus mea deserta est, & vos festinatis unusquisque in Domum suam; propter hoc prohibiti sunt Cœli, *(Aggæi cap. pr.)* ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum: =

II. Non solum ab Ecclesia tumultus omnis, atque strepitus amovendus est; Sed etiam ab ijs locis, quæ Ecclesijs adnexa sunt, nimirum Cæmeterijs, ac præcipue Sacristijs, in quibus quàm dissonum, atque indecorum sit, Laicos, Sacerdotibus mixtos errare, atque confabulari, sponte sua manifestum est. Caveant etiam Parochi diligenter, ne armati homines Templum ingrediantur.

III. Quod de Publicis Ecclesijs diximus, de privatis etiam Oratorijs intelligi volumus, quos in secretioribus Ædium partibus esse oportebit, & debito nitore, atque ornatu præfulgere. Nemo autem, aut Ecclesiam, aut Oratorium quodvis erigere, vel in illis quidquam substantialiter innovare audeat, Nobis inconsultis.

IV. Denique in præsenti innovamus, & in suo vigore permanere volumus ea omnia, quæ a Nobis Statuta sunt in Decreto dato Ferrariæ die 28. Augusti Ann. 1724. in quo fusius mentem nostram de Sacrarum Ecclesiarum cultu expressimus.

V. Ne-

V. Nemo audeat, ullo tempore in Ecclesias ea deferre arma, quæ vulgò dicuntur *Arme da Fuoco*; sub pœna scutorum duorum, quæ in beneficium Pauperum eroganda erunt.

VI. Nemo ex Masculis adultis, præsertim in Ecclesijs Oppidorum, & Villarum, sedere audeat in scamnis Fæminarum, neque inter Fæminas se collocare, sub pœna pro quacumque vice, trium Juliorum, qui distribuentur in pauperes.

CAPUT SECUNDUM.

De Consecratione Ecclesiæ.

QUemadmodum nemo, nisi Deo sacratus Sacerdos, Sacra Mysteria peragere, & vitæ, mortisque auctori, Deo optimo maximo Sacrificia potest offerre; (*Can. sicut non alij, de cons. dist.* 1. *cit: à Concilio Rom. sub Benedicto XIII. Tit.* 25. *c.* 1.) ita nusquam, nisi in locis eidem Deo sacratis, atque dedicatis Divina eadem Mysteria celebranda, & sacrificia offerenda esse a Sanctis Patribus, & Sacris Canonibus accepimus.

Itaque districtè vetamus, Deo Patri immaculatam hostiam offerri, & Divina Officia celebrari in Ecclesia, vel Oratorio, quod Ecclesiastico ritu consecratum (quod ab Episcopo fieri tantum potest) aut ab aliquo à Nobis ad id delegato Sacerdote benedictum non fuerit.

Quoniam vero eo usque interdum prorumpit sceleratorum hominum audacia, ut Ecclesiam Dei contemnere, & Sanctuarium polluere non vereantur; propterea siquid contigerit, quare in maculata Ecclesia à Divinis Officijs, & sacris rebus cessandum sit; præcipimus Parochis, alijsque, ad quos Ecclesiæ, vel Oratorij custodia pertinebit, ut Nos statìm comonefaciant, ut quamprimum fieri possit, pollutum Sanctuarium expietur, & in reum debitis, severissimisque pœnis animadvertatur.

CAPUT TERTIUM.

De Bonis Ecclesiasticis.

BOvi trituranti os non alligandum esse præcepit Deus in Levitico, quo præcepto significare voluit, ut est apud Apostolum, Ministros Dei fructum aliquem in laboribus suis capere debere, quo alantur. Æquum igitur est, ut ij, qui Altari serviunt, de Altari vivant: Propterea que Clericis Beneficia Ecclesiastica conferuntur, ut inde ad vitam decenter sustentandam necessaria sumentes, quæ supersunt in sacros usus juxta Sacrorum Canonum præscriptionem impendant, & pauperibus erogent.

Meminerint igitur Beneficiati, Beneficiorum se minimè Dominos esse. Quod si fructus ex illis recipiunt, tenentur tamen eorundem Beneficiorum jura omnia indemnia conservare, & omnino vacua, libera, & ab omni onere expedita tueri.

Sicut autem boni Patres familias, & æqui, integrique Pupillorum Tutores diligenter curant, ut bona sæcularia, & domorum patrimonia, ac fundos, meliora in dies efficiant, & si quid vetustate, aut aliquopiam casu dilapsum sit, resarciant; ita debere etiam Beneficiatos Bonis Ecclesiasticis, sive Mobilibus, sive Immobilibus curam adhibere, reficere domos, & prædia, sive urbana, sive rustica, meliora efficere, ut ne quid de Ecclesiæ, atque adeo Christi opibus, & patrimonio dilabatur.

Denuncient Nobis eos, qui hujusmodi bonis turbationem aliquam, aut violentiam inferre attentaverint; ut impiorum, & potentium Hominum à Nobis temeritas constringi possit.

Cautum a Prædecessoribus Nostris est, quod & Nos maximè caveri volumus, ut bona Ecclesiæ possidentes nulli propinquo

quo

quo ſuo intra tertium gradum ea bona locare, aut in Emphytheuſim concedere poſſint, niſi de evidenti Eccleſiæ utilitate conſtaret, ſub pœna nullitatis, & alia arbitrio Noſtro infligenda.

Inhęrentes etiam SS. D. N. Benedicti XIII. Sanctionibus (*Conc. Rom. ſub Ben. XIII. Tit. 19. C. unico*) volumus, ne hujuſmodi bona immobilia ultra triennium, vel quatriennium cuiquam locentur; neve ulla ſpes adijciatur renovationis, & nequid, ſub contractus nullitatis pœna, pro Laudemio, ſeu pro primo, ut ajunt, ingreſſu, à quoquam recipiatur.

CAPUT QUARTUM.

De Legatis Pijs.

DEfunctorum voluntates, quæ Nobis per eorum teſtamenta Codicillos, aliaque hujuſmodi ſignificantur, ſi ſanctè, integrèque ſervantur, in ijs etiam, quæ ad temporale hæredum commodum pertinent; multò magis ſervandas eſſe in ijs, quæ ad ipſorum Defunctorum ſpirituale bonum ſpectant, nemo negabit. Hujuſmodi ſunt Legata illa, quæ pia dicuntur, per quæ aut pietati ſuæ, aut juſtitiæ ſatisfactum iri Teſtator voluit. Ne igitur depereant hæ piæ Teſtantium voluntates, & eorum conſcientiæ ad quos illarum executio pertinet, onerentur; diſtrictè imponimus Notarijs, ſub pœnis arbitrio Noſtro infligendis, ut ſi in Teſtamentis, Codicillis &c. ab ipſis deſcriptis, pium aliquod Legatum erit, eam Teſtamenti partem teneantur Cancellariæ Noſtræ ſignificare, atque exhibere intra octo dies poſt Teſtatoris Mortem, ſi in Civitate; intra quindecim, ſi ea extra Civitatem evenerit. Præterea omnes alij notitiam aliquam alicujus piæ diſpoſitionis habentes, eam Nobis, vel Vicario Noſtro ſub ijſdem pœnis indicare teneantur.

Si

Si quod Legatum pium ad aures Parochi, vel Confessarij fieri evenerit; ut fraudes omnes, & lites præcidantur, duo, vel tres testes adhibeantur, coram quibus Testator se ita velle declaret; atque hujusmodi voluntas, & Testatoris dispositio suum semper sortiatur effectum.

Præcipimus etiam, ne quis hujusmodi Legata, & ad piæ causæ favorem concessiones fieri impediat, aut facta jam exequi, sub Canonicarum pœnarum, & excommunicationis interminatione.

Rectores Ecclesiarum, & cæteri piorum locorum administratores librum habeant, in quo hæc Legata, & donationes describantur, una cum nomine concedentis, & Notarij, & Testium, necnon conditionibus donationi adjectis.

CAPUT QUINTUM.

De Eleemosynis, & Quæstibus Parochorum.

NEmo est, qui ignoret, omnibus omnino hominibus dictum esse à Christo: Quod superest, date Eleemosynam. Quo præcepto si etiam tenentur ij, ut certè tenentur, qui studijs, laboribusque suis rem domesticam amplificaverunt, aut Avorum industria amplificatam acceperunt; quanto magis constringi dicemus eos, qui ipsius Christi Bona, nimirum Beneficia possident Ecclesiastica. Intelligant igitur Parochi, gravissimum sibi onus incumbere, oves suas non spirituali solum esca, sed opportunis etiam Eleemosynis corporaliter pascendi, non in gravibus solum, extremisque necessitatibus, sed in communibus positas: Atque huc etiam spectare credant tristes illas querimonias, minasque Dei severissimas: = Væh Pastoribus Israel (*Ezech.* 34. 2.), qui pascebant semetipsos. Nonne Greges à Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & Lanis operiebamini; & quod crassum erat occidebatis; Gregem autem meum non pascebatis: =

Quam-

Quamvis autem Consanguineis suis, si verè Pauperes sint, succurrere possint, idque eis permittatur a Sacrosancta Tridentina Synodo; nullo tamen pacto sibi licere, sibique permissum putent, Consanguineos suos augere divitijs, & in meliorem statum traducere: Quique id ausi fuerint, sciant, se non Pastores, sed fures, atque Christi bonorum direptores futuros.

Quid verò, si quis Parochus ita cumulandarum opum studiosus esset, ut non ijs contentus fructibus, qui ad ipsum ritè perveniunt, Sacrarum rerum quasi quæstum quemdam institueret? Nonne is gravissimam apud Deum culpam committeret, qui fidelium animas provocare non cessat = Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite; *(Isai. 55. 1.)* Venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione.

Vetuit fieri ullas quæstuationes in Ecclesia per Massarios, vel Confratres, aut alias quascumque personas, ex quacumque etiam urgentissima causa, In actu Sacramentalis Confessionis, vel Communionis.

Dum igitur dies Festi celebrantur, seu dum Fidelibus ministratur Eucharistia, seu alia quacumque occasione, non exquirantur à Fidelibus Eleemosynæ, nisi ut in Visitatione à Nobis statutum fuit: nempè post primam partem Concionum, ut moris est Eleemosynas quærere tunc temporis in Ecclesia: in alijs vero quibusdam Casibus jam à Nobis in eadem Visitatione approbatis, extra fores tamen Ecclesiæ quęsita Eleemosyna: retentis præterea Capsulis similiter approbatis.

CA-

CAPUT SEXTUM.

De Primitijs, & Decimis.

SIcut æquum est Pastores pascendarum Ovium suarum cura sollicitari, ita etiam convenientissimum est, ut ex Ovibus suis fructus percipiant, quibus ali honestè, sustentarique possint. Propterea jam tum Israelitico populo severissimè præceptum esse nobis Scripturæ Sanctæ testantur, ut Primitias Deo offerret, quæ cùm ad Tabernaculi, Deique cultum augendum, tum etiam in ipsorum Sacerdotum usum cederent: (*Exod.* 22. 29. *Levit.* 27. 30. *Num.* 18. 11.) Quem morem Christianus Populus, & Sancta servavit Ecclesia. Ii igitur ad quos pro Primitijs, atque Decimis persolvere pertinet, meminerint quid super hac re à Sacrosancta Tridentina Synodo sancitum sit. Jusserunt enim Patres illi, ut ab omnibus, cujusque gradus, aut conditionis sint, Decimæ integræ persolvantur: Qui verò eas subtrahunt, aut impediunt, excommunicationis fulmine feriuntur; à quo crimine, nisi plena restitutione secuta, eos absolvi nolunt.

Hortantur deinde Christianos omnes, pro ea Charitate, qua esse debent erga Pastores suos, ut de bonis à Deo sibi collatis, ijs qui tenuioribus præsunt Ecclesijs, largè subveniant, ad Dei Laudem, atque ad Pastorum, qui pro ipsis invigilant, dignitatem tuendam.

Nos vero Pastores ipsos hortamur, ne in Decimis exigendis nimium molesti sint, neve optima quæque sibi persolvi velint; Sed cum humanitate de utraque Decimarum specie, tàm de ijs, quæ optimæ, quàm de ijs, quæ inferioris notæ sunt, percipiant.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

De Ecclesiæ immunitate tuenda.

NOn tàm Ecclesiasticis, quàm Laicis commune esse debet studium Ecclesiasticæ immunitatis tuendæ; cum utrisque communis sit Dei, ejusque Sponsæ honor. Et quamvis huic rei satis provisum esse videatur a Sacris Canonibus (*Sess.* 21. *c.* 22.) Pontificum Bullis, & Concilijs, præsertim Tridentino; tamen nonnulla attingemus ad Ecclesiasticorum, & Laicorum memoriam excitandam.

Rectores igitur, & Custodes Ecclesiarum, vel aliorum immunium locorum nullo pacto permittant extrahi eos, qui illuc quasi ad asylum quemdam confugiunt; Si quis autem insigniter criminosus, & Foro Judiciali graviter obnoxius ad ea loca confugerit; Nobis statim enuncietur, ut quid faciendum sit, sine immunium locorum violatione, perpendi a Nobis, ac deliberari possit.

Si ad alicujus aures pervenerit, sive Ecclesiasticus ille fuerit, sive Regularis, sive Laicus, immunitatem Ecclesiasticam a quoquam violatam esse, præcipimus, sub pœnis arbitrio Nostro infligendis, ut Rei nomen ad Nos statim deferat.

Indignum etiam esset, ut ad immunia loca confugientes turpissimo ingrati animi vitio locis iisdem injuriam facerent ludis, comessationibus, compotationibus indulgendo; aliaque id genus patrando, quibus & pijs ipsis locis, & vicinati graves essent. Horum nomina ad Nos deferri volumus, ut in Reos tanti sceleris, Juris remedijs, animadvertere possimus.

CAPUT OCTAVUM.

De Laicis intra Presbyterium non admittendis.

NE Laici Divinorum Officiorum tempore, in Ecclesijs etiam Regularium intra Presbyterium, atque Altarium Claustra irrumpere, ibique consistere audeant, satis cautum

videbatur Decretis (ann. 1688. & ann. 1690.) a Sacrorum Rituum Congregatione ſtatutis; Iiſdem tamen decretis pondus addidit Romanum Concilium, prohibens, Laicos ibidem ſtare, aut ſcamna, & genuflexoria habere. (*Tit.* 28. *c.* 4.)

Caveant igitur Laici omnes, ne pœnam incurrant, Tranſgreſſoribus a SSmo D. N. Benedicto XIII. impoſitam, *pœnam* videlicet *interdicti ipſo facto incurrendam, & Romano Pontifici reſervatam*.

Nos igitur S.S. Pontificis menti inhærentes mandamus Parochis omnibus, ut quoties Divina Officia habenda erunt, Cancellis, aut ſcamnis Altare ſepiant; a quibus ſeptis Laicos cujuſcumque ordinis, & ſexus arceri volumus, præter Confratres Divinis Officijs deſervire ſolitos, exceptis quoque ijs perſonis, ſi quæ ſunt, quæ Divino ſervitio neceſſariæ videantur.

Redigere enim in anguſtias ſacros Miniſtros Laici ſolent, atque impedimento eſſe, ne ea, qua par eſt, dignitate, atque pietate Divina Officia celebrentur. Quod ſi qua in Eccleſia intra Presbyterium ſcamna, & genuflexoria eſſent pro Laicis, ut illinc ſtatim auferantur, mandamus. Neque id ægre ferre Nobiles Viri debebunt, cum ſciant ab antiquis uſque temporibus, Deum (*Num.* 8. 19.) præcepiſſe, ut ſolis Levitis in Sancta Sanctorum adytus pateret. Quin immo ſerio putandum eis eſt, quàm indecens ſit inter Sacra Myſteria Laicos verſari.

Nulli Laicorum pateat, & planè vetitus ſit ingreſſus ad Sacriſtias, & ad Choros Eccleſiarum Noſtræ Diœceſis, ne prolixæ Sermocinationes a qualitate Loci non parum alienæ miſceantur, neve devotionem interturbent Miniſtrorum Dei. Chorus, & Sacrarium membra ſunt Eccleſiæ, quæ ſemper eſt Domus Orationis. Sæculares, qui moram fecerint in Choro, aut Sacriſtia, pœnam ſubibunt ſcutorum duorum, Eccleſiæ ipſi, aut Pauperibus applicandorum.

Proinde Laicis interrogantibus de proximè futuro Sacrificio, extra Sacriſtias Clerici ſatisfaciant.



CONSTITUTIONUM
SYNODALIUM FERRARIEN.
Pars Quarta.

CAPUT PRIMUM.

De Canonicis.



Onvenientiſſimum eſt, ut qui in Eccleſia cæteris præſtant honore, atque dignitate, cæteros etiam pietate, gravitate, innocentia, pręcellant. Hortamur igitur, atque obſecramus Canonicos Noſtros, ut eam, quam ingreſſi ſunt Sanctitatis viam inſiſtant, ſeque Duces præbeant inferiori Clero, ut Ferrarienſis Eccleſiæ ſplendor in dies augeatur. Verendum enim maximè eſſet, ne decor omnis egrederetur è Filia Sion, ſi principes ejus fierent ſicut arietes non invenientes paſcua, neve brevi Sanctuarium omne dilaberetur, ſi Lapides ejus diſpergerentur.

Cohæreant igitur ſimul, atque ea, qua par eſt, fraterna charitate contineantur, in congreſſibus prę ſertim capitulari-

 bus,

bus, in quibus ſicut nemini offenſionis cauſam afferre debet, ſiquis in contrariam ſententiam diſcedat; ita cavere quiſque debebit, ne alijs, ſpiritu quoddam, qui ex Deo non eſt, contradicat: Sed re ſecum maturè deliberata, quod ſibi expedire videbitur, æquo animo proferat.

Aſſidui ſint, atque diligentes in Canonicis horis perſolvendis: & ne Chorus Divinorum Officiorum tempore deſtituatur, plures ſimul ſacri faciendi cauſa non exeant.

Sicut æquum eſt, ut inferior Clerus debitum Canonicis honorem præſtet; ita Canonicos ipſos decet Epiſcopo honorem deferre. Eo igitur Pontificalia gerente, adſint omnes ſacris veſtibus induti. Quod ſi quis futurum prævideat ut aſſiſtere non poſſit, id Nobis, aut per ſe, aut per Chori Præfectum ſignificet.

Beneficiatos ſupra monuimus, ipſis onus incumbere Eccleſiaſtica beneficia, quibus fruuntur, indemnia ſervandi, atque etiam meliora efficiendi. Quod Canonici dictum putent de Præbendis, ex quibus non parum utilitatis, ac fructus ad vitam honeſtè traducendam recipiunt.

CAPUT SECUNDUM.

De Canonico Pœnitentiario.

A Sacroſancta Tridentina Synodo (*Seſſ.* 24. *de Ref. c.* 8.) ſtatutum eſt, ut in Eccleſijs omnibus Cathedralibus, quoad fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis inſtituatur. Quod ſecum reputans, qui tali munere fungitur, & illud ſimul cum animo ſuo cogitare debebit, quanti ejus officium æſtimandum ſit, quantaque cum diligentia pertractandum.

Canonicus igitur Pœnitentiarius præſtitutis diebus, & horis in Eccleſia Cathedrali, ſuo in Tribunali aſſiſtat; (*Conc. Rom. ſub Benedicto XIII. Tit.* 32. *c.* 4.) & eoſdem fructus percipiat, ac ſi Choro intereſſet.

Pœ-

Pœnitentes benignè excipiat, patienter audiat: non eos ſeveritate nimia terreat, ſed ut Bonus Paſtor humeris impoſitos ad Chriſti Ovile errantes deportet.

Non benignitate vero ſolum, ſed etiam ſcientia præfulgeat: Etenim idonea vulneribus medicamenta adhibere minime poterit, ſive ad vetera curanda, ſive ad nova præcavenda, niſi vulnera ipſa, earumque cauſas penitus introſpiciat: Memineritque Evangelicum illud effatum, quod ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt. Sui igitur muneris eſſe intelligat, in Moralibus Doctrinis apprimè verſatum eſſe; nec mediocri quaddam rerum notitia eſſe contentum.

Nec ſolum in Spiritu lenitatis, & manſuetudinis debet peccatores ſuſcipere, ſed etiam Pœnitentis animum, & ingenium ſanè perpendere, eaque prudentia, infirmitati cujuſque ſe accommodare, ne alij fortè nimia facilitate, Licentiores ad peccandum efficiantur, alij nimia ſeveritate deterriti in mœrorem, ac deſperationem adducantur.

Spirituali lætitia Nos replet Pœnitentiarij aſſiduitas, in hoc eximiæ charitatis munere exercendo: multæque laudis eſt, ac magni apud Deum meriti, alijs non ſe tradere negotijs, ut frequenter pœnitentibus præſto eſſe poſſit. Hinc præter ſolemnia feſta, & reliquos Feſtos dies, valdè cupimus, atque in Domino exhortamur, ut qualibet ſexta Feria pro Tribunali ſedeat, & quandocumque ad illud vocatus fuerit: Nec inde abſcedat, quamdiu pœnitentium frequentia poſtulaverit. Nam Divinorum Diviniſſimum, cooperari Deo in ſalutem Animarum ajebat S. Dionyſius Areopagita.

CA-

CAPUT TERTIUM.

De Canonico Theologo.

QUantum valeat ad Fidem excitandam, humanosque animos erigendos Sacrarum Scripturarum interpretatio, cùm ex multis testimonijs manifestum est, tum ex eo, quod in se experti sunt Discipuli illi, qui Emmaus petebant, Christo Jesu ipsis Scripturæ sensus interpretante: Quam ardens erat cor nostrum in via, dum aperiret nobis Scripturas? Id serio cogitans Sacrosancta Tridentina Synodus (*Sess.* 5. *de Refor. c.* 1.) statuit, ut Sacræ Scripturæ Lectionibus habendis idoneus Minister ab Episcopis eligatur. Suas igitur potissimas esse partes intelligat Canonicus Theologus, hujusmodi Lectiones habere; quæ in animorum utilitatem vertant, eam Methodum teneri volumus, quam Nobis Concilium Romanum (*Tit.* 1. *c.* 8.) expressit. Nimirum ut demittat se ad singulorum captum, Sacrarum Scripturarum interpres: Ut in unaquaque Lectione, litterali sensus expositione præmissa, non solum unam, aut alteram historialem quęstionem solvat; Sed unam, aut alteram etiam moralem, vel de Fidei Nostræ Articulis, vel de alia quapiam re ad Fidem Catholicam roborandam, & Christianorum mores instituendos accomodatam; itaut Lectio non audientium solum Eruditioni, sed spirituali etiam saluti prosit.

Ut Sacræ Scripturæ Lectionibus intersit, Populum admonemus; Clerum autem omnino interesse jubemus, scientes, hìnc animos refici, & ad omnem virtutem promoveri.

Pergratum porrò, tum Deo, tum Nobis facit, & faciet Canonicus Theologus, si tam excellenti Officio ea, qua par est sedulitate laudabilem suam navare operam perseveret, statis diebus, Theologicas, & scripturales, non conciones, sed Lectiones, & Casuum Conscientiæ decisiones explanare contendat:

dat: Nullisque alijs se implicet negotijs, ut honorificum adeo, & laboriosum opus diligenter possit implere, quod ex Concilij Tridentini ordinatione, in Concilio Romano (*tit. pr. c. 6. & 7. 8. & 9.*) instaurata, ad tuendam integritatem Fidei, morumque probitatem, sapientissimè institutum est. *Provisi enim de Præbenda hujusmodi Theologali* (ait S. Pontifex Benedictus XIII. cap. 7.) *Quadraginta saltem quotannis Lectiones publicè in Ecclesia habere tenentur per se ipsos, sin minus per idoneos alios, quos Episcopi substituent.*

CAPUT QUARTUM.

De Mansionarijs.

AB ipso, quo nuncupantur nomine, revocari in memoriam muneris sui deberent Mansionarij Nostri; Se nimirum veluti stationarios Ecclesiæ Milites esse, quibus continuè Divino cultui advigilandum est. Curent igitur in primis ut muneri satisfaciant suo, Divinas Laudes concinnè canendo, aliaque Sacra Ministeria, quæ ad ipsos pertinent, diligenter peragendo. Abesse nemini omnino liceat, nisi ab Episcopo, Capitulo, vel Archipresbytero impetrata facultate, quæ copia non fiet, nisi justis gravissimisque de causis.

Sicut autem Mansionarios officium suum implere volumus, ita etiam præcipimus, ut quæ ipsis debita sunt, diligenter persolvantur. Æquum enim est, ut qui diei pondus portant, & æstus, ne debita laboribus ipsorum mercede fraudentur. Itaque Capituli Camerario hoc magnopere commendatum esse volumus, ut alacriores in dies sint Mansionarij, & in suo munere explendo diligentiores.

CAPUT QUINTUM.

De Capellanis.

QUod ad Capellanos ſpectat; volumus, ut non temere, quicumque ſe prius obtulerit, neque ex aliquo ſtudio partium, humanoque reſpectu, ſed ij deligantur, qui verè huic muneri præſtando idonei ſint; adhibito prius examine, juxta ſtatuta a Cardinali Magalotto in ſua Synodo.

Qui verò ad Capellanias electi erunt, cognoſcant diligenter, quæ ſibi onera contraxerint, ut ea ſine querela ante Deum, & homines ferre poſſint. Qui, ex Capellæ fundatione, miſſas per ſe ipſos celebrare tenentur, caveant ne alios ſubſtituant, neve Teſtatorum mentem defraudent. Si vero per alios muneri ſuo ſatisfacere poterunt, idoneos Miniſtros ſubſtituant; ij autem eadem peragere teneantur, quibus ſubſtituentes obſtricti ſunt.

Etiam Capellani Choro intereſſe debebunt, ejuſdemque Chori Præfecto ſubditos ſe exhibere, debitumque ipſi honorem, & reverentiam deferre.

CAPUT SEXTUM.

De Sacris Ritibus, & Cæremonijs.

SAcroſancta Œcumenica Tridentina Synodus Anathematiſmi fulmine confixit eos, (*Seſſ.* 7. *Can.* 13.) qui dicerent receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus contemni, aut pro libito a Miniſtris omitti poſſe. Quanta igitur pœna dignos eſſe dicemus eos, qui, ſi ſacros hos ritus, & Cœremonias contemnendas dicere non audent; re tamen ipſa in Miſſæ celebratione, & in ſacrarum rerum adminiſtratione contemnunt, ut nullas unquam rubricas vidiſſe, aut legiſſe

gisse videantur? Reputent ij serio, diuque cogitent cum animis suis, Sacros Ecclesiæ ritus, & cœremonias, non humanà inventa esse; sed ex Apostolica disciplina, & traditione ad nos derivatos esse. (*Sess. 22. c. 5.*) Deindè intelligant Nos gravissimis pœnis animadversuros in eos esse, qui, præsertim in Missarum celebratione, Sacramentorum administratione sacros hos ritus contemnent, ac negligent. Magistro igitur Cœremoniarum injungimus, ut quos hac in re negligentes viderit, primum admoneat, corrigat etiam voce; & qui se emendare noluerint, ad Nos deferat. Quod Parochis etiam, tum Foraneis, tum Urbanis mandamus, ut curent, ritus hosce, sacrasque Cœremonias a subditis sibi Presbyteris observari.

CAPUT SEPTIMUM.

De Vicarijs Foraneis.

NE Diœcesis amplitudo officiat, quominus Episcopus in Civitatibus residens, Pastorale officium suum implere possit, Decretis a Sacris Canonibus, & novissimè a Concilio Romano (*sub Benedicto XIII. Tit. 7. c. 2.*) ut Vicarij Foranei in Oppidis insignibus constituantur; Qui opera diligentiaque sua Episcopos juvent in Animarum salute, & Ecclesiastica disciplina procuranda, atque custodienda. Oramus igitur eos, ut muneri suo invigilent, tanquam de Animabus Curæ Nostræ commissis & ipsi Deo Optimo Maximo rationem reddituri. Suas esse partes intelligant, diligenter inquirere de Laicorum, Clericorum vita, ac moribus, & quomodo Parochi, alijqne Ecclesiarum Rectores in pascendis Ovibus suis se gerant: Et si quem, aut Laieum, aut Clericum, aut Parochum, aut Rectorem Ecclesiæ deprehenderint a recta ratione deflectere; debitum Ecclesijs cultum non adhibere; solitas conciones ad Populum diebus Festis,

& doctrinæ Christianæ interpretationem non habere ; Visitationum, aliaque, aut a Nobis, aut a Prędecessoribus Nostris emissa Decreta non custodire, ad Nos deferre. Qua in re si desides, aut negligentes erunt, sciant animarum jacturas, & Christi Sanguinem de eorum manibus a Deo requisitum iri. Moralium Casuum Decisiones singulis Mensibus indicant, cætusque habeant ad has quæstiones conficiendas; Hujusmodi autem cætibus non Parochi solum, sed singuli Sacerdotes interesse teneantur; & Casuum Decisiones ad Nos transmittantur.

CAPUT OCTAVUM.

De Parochis.

QUamvis Pastorum nomine in Sacris litteris (*in Apologetico*) Parochi nuncupentur; non arbitror (inquit Divus Gregorius Nazianzenus) ejusdem esse rationis, gregi, vel Armento præfici, & animabus hominum gubernandis præesse. Cura enim Pastorum plerumque est quercus, & umbra, & fistula, & in herbidis locis commodus recubitus, & aqua frigida, & sub aura stratum ex tempore paratum, denique subindè amatorium aliquid cantillare, & boves, vel gregem compellare, & quod ex illis pinguissimum est, vel in escam suam usurpare, vel vendere = Parochus verò delicias omnes, & humanas voluntates interdicere sibi debet; atque illud frequenter recogitare, quod Spiritus Sanctus in Proverbijs ait = (*c. 6. 1.*) Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam ; illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus : Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manus proximi tui. Eruere quasi damula de manu, & quasi avis de manu aucupis : discurre, festina .... ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ: =:

Cu-

Curent igitur Parochi, ut ſubditum ſibi gregem cùm vitæ exemplo, tùm Divini Verbi prædicatione paſcant. Quamobrem Sacram apud ſe Scripturam, & Librum aliquem alium utilem apud ſe habere, & legere debebunt, unde ea eruere poſſint, quæ Populo dicant, ad pedes ejus dirigendos in ſemitis Domini. Summam etiam aliquam Caſuum Conſcientiæ, Sacroſanctum Tridentinum Concilium, Cathechiſmum, & Rituale Romanum apud ſe ſemper retineant.

Sciant ſibi graviter interdictum eſſe a ſuis Eccleſijs ultra biduum abeſſe ſub pœna ſcutorum duorum, quæ diſtribuentur in Pauperes, ſine Noſtra facultate in ſcriptis, & gratis danda, quam raro, & niſi juſtis, legitimiſque de cauſis concedemus. Quo tempore autem abſunt, probatæ vitæ, ac doctrinæ Sacerdotem aliquem Vicarium relinquant. Si fortè talis repente ſe offerat inopina neceſſitas, quæ moram non patiatur, hujuſmodi licentiam petendi, quamprimum tamen de hac neceſſitate, & de diſceſſu, Nos certiores reddat, ut de cauſa poſſimus cognoſcere, prout Decreto Sacræ Congregationis Concilij cautum eſt.

Qui in Animarum cura adjutorem ſibi aliquem ſumpſerunt, intelligant, ſe muneri ſuo minimè ſatisfacturos, ſi curam omnem adjutoris humeris imponent. Nemo autem eligat ſibi hujuſmodi adjutores, niſi facto verbo Nobiſcum.

Exortas inter Parochianos ſuos contentiones, & diſſidia prudentibus cohortationibus componant. Caveant autem ipſi quammaxime, ne quam jurgiorum, aut rixarum Cauſam habeant cum ſuis ſubditis, præſertim Sacerdotibus; putant enim Laici licere ſibi inter ſe rixari, ſi Sacerdotes inter ſe rixantes videant.

In Sacramentis adminiſtrandis ſolliciti ſint; ad quorum frequentiam Populum ſæpè cohortabuntur; & ſi quem diutius ab illis abeſſe viderint, admonebunt, & ſi opus etiam fuerit, increpabunt, cum omni tamen patientia juxta Apoſtoli monitum.

Præcipuam ægrotantibus Curam adhibere debebunt; eosque sæpè visitare, & sanctis sermonibus, & aliquo etiam, si opus fuerit, temporali subsidio sublevare.

Orent frequenter pro concreditis sibi animabus; & pro illis Sacrificium offerant juxta Trident. Concilij præscriptum. (*Sess.* 23. *de Ref. c.* 1.) Hortamurque eos, atque obsecramus, ut ejusdem Concilij caput primum de Reformatione Sess. 23. identidem attentè legant; ubi præcipua Parochorum munera distinctè recensentur.

Id etiam adimpleri volumus a Parochis, quod in nuperrimo Concilio Romano statutum est, (*Tit. pr. c.* 4.) *nimirum, ut singulis saltem Dominicis festisque diebus, qui de præcepto observari solent, post lectum in Parochiali Missa Evangelium, sermonem brevem habeant, & facilem, auditorumque capacitati aptum. Hora verò Pomeridiana pueros, puellasque a Septennio, & supra, in Ecclesiam convocatos, & in suas Classes distributos (maribus semper a fœminis separatis) Christianæ Fidei Rudimenta edoceant ex libello, quem Cardinalis Bellarminus edidit, & Clemens VIII. fel. rec. retinendum mandavit.*

Cum non obstante dispositione Emi de Verme Prædecessoris Nostri, qua vetuerat Parochis exactionem Olei (*in Synod. Pag.* 169.) pro Lampade ardenda ante Venerabile; Adhuc ad Nos pervenerit notitia, adstringi familias Parœciæ ad subministrandum Oleum, sive Olei impensas; prætextu possessionis per Annos quadraginta continuatæ: Proindè Parochi Nobis exhibeant documenta ejusmodi possessionem probantia, ut auditis partibus, cognoscamus de veritate, & æquitate rei, ac judicemus.

Interim iisdem Parochis prohibemus omnem Olei exactionem pro dicta Lampade ante Augustissimum Sacramentum ardenda; sub pœna pecuniaria arbitrio Nostro in Ecclesiæ Parochialis, vel Pauperum beneficium.

Similiter prohibemus exactionem Oboli, sive ut dicitur *di un Bajocco*, tempore Paschalis Communionis; abusum non tole-

tolerabilem, a Nobis deprehensum in quibusdam Parœcijs, paucis tamen, nostræ Diœcesis; quem omnino sublatum volumus.

Præterea toto Pastoralis Zeli affectu Parochos adhortamur, ut omni diligentia, & cura advigilent in Amatores, & Amatrices, ne amor exerceatur in Ecclesiâ. Quod inconveniens permittere nullatenus debent, cùm propter irreverentiam, tùm propter scandalum. Prudenter & serio eos admoneant: si opus sit, etiam increpent. Parentes eorum conveniant, suadeantque, ut cum ipsis operam conjungant, ad hoc grave malum impediendum, & Divino Adiutorio, extirpandum. Si non profecerint; rem ad Nos deferant, ut opportuno remedio, publicę, ac privatæ utilitati consulamus.

CAPUT NONUM.

De Judicibus Synodalibus.

JUDICES SYNODALES.

D. Raynaldus Comes Masi Archipresbyter J. U. D.
D. Michael Archangelus Berti Prępositus J. U. D. Proth. Apost.
D. Joseph Orsati Cath. Primicerius Proth. Apost. J. U. D.
D. Nicolaus Antonius Mosconi Canonicus Pœnitentiarius J. U. D. Protbonotarius Apostolicus.

JUdicibus Synodalibus id satis erit inculcare, quod eos monet Sacrosancta Tridentina Synodus, (*Sess.* 25. *c.* 10. *de Reform.*) nimirum ut terminandis Causis, quanta fieri poterit brevitate studeant. Quare non ipsi solum a prolatandis causis abstinere debebunt; Sed litigantium etiam artificijs, & dilationibus occurrere. Nulla sit apud ipsos personarum acceptio, sed æquos se judices erga omnes præbeant.

CA-

CAPUT DECIMUM.

De Examinatoribus Synodalibus.

NE animabus regendis inepti Mercenarij, ut quiſque primum occurreret; Sed idonei Paſtores præponerentur, ſtatuit Concilium Tridentinum, (*Seſſ.* 24. *c.* 8. *de Reform.*) ut ad minus ſex Examinatores præficiantur, quorum ſaltem tres Sacerdotes ad Parochiales Eccleſias promovendos examinent.

Qui igitur Examinatores conſtituti ſunt, meminerint ſtrictiſſimi juramenti, quod ab iiſdem, juxta ejuſdem Concilij ſtatuta exigitur, quoque ſe Deo obſtringunt, quacumque humana affectione poſtpoſita, fideliter munus ſuum exequturos.

Caveant etiam (quod eadem Sancta Synodus caveri vult,) ne quidcquam, examinis occaſione, aut ante, aut poſt, ab Examinandis accipiant: Et ab omni ſimoniæ non ſolum crimine, ſed etiam ſpecie ſe abſtineant.

Inter examinandum non ſubtiles, alienas, atque inutiles quæſtiones proponere debebunt; ſed de ijs, quæ ad curam Parochialem pertinent, examinabunt; deque ijs rebus, ex quibus non doctrina tantùm, ſed prudentia, pietas, modeſtia, cæteræque Chriſtianæ virtutes explorari poſſint.

EXAMINATORES SYNODALES.

D. Co: Raynaldus Maſi Archipresbyter J. *U. D.*

D. Michael Archangelus Berti, Præpoſitus, Philoſophiæ, Sac. Theologię, & J. *U. D., Prothonotarius Apoſtolicus.*

D. J*oſeph Orſati Cath. Primicerius* J. *U. D. Proth. Apoſtolicus.*

D. Hippolytus Graziadei Decanus J. *U. D.*

D. Franciſcus Saraſini Canonicus Theologus, Sac. Th. Doct.

D. Nicolaus Antonius Moſconi, Canonicus Pænitentiarius, J. *U. & Sac. Th. Doct., Proth. Apoſt.*

D.

D. Joannes Franciscus Scutellari, Canonicus J. U. & Sac. Th. Doct.

D. Hyeremias Bulgarelli, Canonicus, Proth. Apost.

D. Joseph Arienti Canonicus Prothonotarius Apostolicus.

Sacerdos Joseph Caravieri Sac. Theol. Doct., in Ecclesia Cathedrali Capp. Beneficiatus, Rector Nostri Seminarij.

P. Magister Michael Dominicus Ciavarnella Ord. Prędic.

P. Magister Ignatius Franciscus Rinaldi ejusdem Ordinis.

P. Magister Alexander Corradi ejusdem Ord. Prędic.

P. Magister Laurentius Rossi, ExProvincialis Ord. S. Francisci Minor. Conventualium.

P. Franciscus de Meldula, &) ExProvinciales Ord. Sancti
P. Thomas de Cento) Francisci Min. Observ.

P. Magister Joseph Vertua, ExVicarius Ord. Carmelit., Congreg. Mantuæ, Sac. Theol. Doct.

P. Magister Angelus Maria Ventura, Ex Vicarius Ord. Servorum Beatissimæ Virginis Mariæ, Sac. Theol. Doct.

P. Joseph Mantelli, Theologus Noster)
P. Hortensius Palearoli, &) Societ. Jesu.
P. Jacobus San Vitali)

P. Lector Basilius Coscioni Ord. Minim. S. Francisci de Paula, &

P. D. Ludovicus Lanzi Clericus Regularis Theatinus.

CAPUT UNDECIMUM.

De vita, & honestate Clericorum.

SIcut gradu, & vestibus distinguuntur a Laicis, ita etiam curare debent ut virtutum ornamentis, & morum honestate secernantur. Quo pacto autem secerni debeant, ostendit Concilium Romanum (*Tit.* 16. *c.* 2. 3.) statuens, vitandam ab ipsis Laicorum consuetudinem esse, eam præsertim, quæ umbram aliquam eorum famæ, dignitatique offundere potest: Monens etiam, ut in Sacris studijs, & litteris se

ſe diligenter exerceant : ut a venationibus ; Ludis, publicis ſpectaculis abſtineant ; ne queri Deus poſſit, in capite omnium platearum Lapides Sanctuarij diſperſos eſſe, & Sacerdotes, ſicut arietes non invenientes paſcua (*Hyerem. c.* 1.) abijſſe abſque fortitudine ad profana quęque ſpectacula, non ſolùm poſt Laicos, ſed aliquando etiam ante faciem ſubſequentium, tanquam eorum Duces : ut veſte, & Tonſura Clericis congruente ſemper utantur, ornatum omnem, & ignominiam ſæcularis habitus reſpuentes : ne cum Mulieribus niſi primo, aut ſecundo conſanguinitatis gradu junctis, vel affinitatis, multoque minus cum extraneis cohabitent, ut vitam tutius ſine alicujus querela, & offenſione degere poſſint.

Edicimus igitur ne in Domo Parochiali retineantur Fratres conjugati, Sorores, Neptes nubiles, aliæque Mulieres ſine Noſtra ſpeciali licentia, & facultate gratis danda, ſub pœna ſcutorum quinquaginta, Fabricæ, aut in aliud ſervitium ejuſdem Parochialis Eccleſiæ arbitrio Noſtro applicandorum.

Et ne fallaci aliqua cavillatione mentem Noſtram, & Paſtoralem Zelum in animarum ſuarum perniciem, eludant ; intelligant demum, non aliam ijs licere veſtem, aut Togam, niſi Clericalem nigram ; ut perſonæ, tam ſpecialibus titulis Divino ſervitio dicatæ, etiam ex habitu a ſæculo ſegregatæ, ſtatim, & ab unoquoque dignoſcantur. Veſte igitur aut Toga Clericali nigra (non autem alterius coloris) ſemper induti appareant : rationem Nobis reddituri, ſi ſecus fecerint. Suum non erubeſcant ſtatum, memores illius Divini, ac tremendi oraculi : Qui erubuerit me coram hominibus, erubeſcam & ego eum coram Patre meo.

Præterea qui ad primam Tonſuram, vel ad Ordines minores admitti ſnpplicant, ſtatim poſt obtentam Clericalis habitus licentiam, ſervitio alicujus Eccleſiæ ſe dedicent, Divinis Officijs aſſidui ſint, ea, qua par eſt, modeſtia, & probitate morum *:* ut ſancitum fuit in Concil. Trident. Seſſ. 23. de Ref. c. *6.* & 16. ſimiliter in Conc. Rom. ſub Bened. XIII. tit. *6.* cap. 2.

De-

Deque hoc certo ſervitio Eccleſiæ præſtito teſtimonium Parochi Cancellario Noſtro exhibeant, ejuſdem Parochi ſigillo firmatum.

Hujuſmodi autem requiſitum tanti à Nobis fiet, ut inter præcipua expendere velimus.

Denique ea eſſe debet Clericorum vita, & morum honeſtas, ut juxta monitum Divi Pauli vereantur malum dicere de Nobis.

In hunc finem Sanctiſſimus D. N. Benedictus XIII. diſtrictè vetuit omnibus Eccleſiaſticis ſæcularibus in Ditione Pontificia degentibus ludum ſortitionis, eoſque juſſit ab hujuſmodi ludo abſtinere, ſive ut dicitur *da i Giucchi de i Lotti, volgarmente detti, di Genova, Milano, Venezia, e Napoli:* ut ex Epiſtola fel. rec. Emi. Paulutij, de Mandato Sanctitatis ſuæ, ſcripta 29. Septembris 1725., quæ in Appendice apponetur: ubi prohibentur prædicti ludi ſub pœna etiam Carceris, & ſi opus fuerit, etiam ſuſpenſionis, & excommunicationis.

Eadem de cauſa, ut Eccleſiaſticæ Profeſſioni debitus honor ſervetur, Edictum anno 1720. 14. Maij a Nobis editum, & hic in Appendice apponendum innovamus: Idque in ſuo vigore permanere volumus, ſub pœnis in eodem Edicto contentis. Quo videlicet cavetur, & prohibetur, ne Clerici quicumque, tàm Noſtræ, quàm alterius Diœceſis in Noſtra tamen Diœceſi, quacumque de cauſa commorantes, eam Domum eligant, ubi degant intra eadem ſepta, ſive ut vulgo dicitur, *dentro lo ſteſſo recinto*, Mulieres non Synodales.

Sin autem fuerint Synodales, annum videlicet ad minus quadrageſimum explentes, pietate inſuper exemplari, ac ſenili aſpectu: Tunc re ad Nos prius delata, permiſſio gratis dabitur, ſi ad Dei gloriam, & Animarum ſalutem conducere viſum fuerit.

L CA-

CAPUT DUODECIMUM.

De Seminario, & Educatione Clericorum.

CUm potiſſima Cleri diſciplina à Seminarijs, & Clericorum educatione dependeat; maximam Nos decet eorum Curam gerere, & Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi ſollicitudini ſatisfacere. Ejuſdem igitur Sanctæ Synodi menti inhærentes, volumus, ut qui in Seminario recipiuntur, annos ad minimum duodecim, & ex legitimo Matrimonio nati ſint: Ut in ſuas Claſſes pro uniuſcujuſque ætate, atque doctrina diſtributi, non humanas ſolum litteras, ſed ritus etiam Eccleſiaſticos, cantum, & computum Eccleſiaſticum edoceantur: Ediſcant etiam, cum per ætatem licebit, Sacram Scripturam, libros Eccleſiaſticos, Sacros Canones, & utramque Theologiam, tùm eam, quæ ſpeculatrix, tùm eam, quæ Moralis nuncupatur.

Nos igitur, quæ a Sacro Tridentino Concilio præſcripta ſunt, diligenter exequi ſatagentes, mentem, curaſque Noſtras jamdudum ad ea convertimus, quibus opportunè proſpici poſſet ſedulæ Clericorum inſtitutioni, domo ad id deſtinata, non ſolùm amplificata (Domino adjuvante) ſed in meliorem formam redacta; aucto ſupra medietatem Clericorum numero; Novis certiſque Proventibus Seminario addictis, hoc enim a Nobis expetebat Paſtoralis Officij debitum, hoc poſcebat amor erga Noſtram dilectiſſimam ſponſam S. Ferrarienſem Eccleſiam, hoc denique ordinationes Sanctiſſimi D. N. Benedicti XIII. (*in Conc. Rom. Tit.* 30. *c.* 1.) Perſuaſum quippe habemus, quod ipſe S. Pontifex ait initio Conſtitutionis, quam pro Clericis in Seminario educandis edidit: *ubi enim Clerici a teneris annis, inquit, ceu plantę novellæ, benigniori cultura educentur, hoc eſt, ad pietatem, morum candorem, litterarumque ſcientiam in Seminarijs accuratè informentur,*

cum

cum postea ad laboriosa Ecclesiastica Ministeria in vineam Dominicam transplantantur, maximè fructuosos, ac utiles esse, satis compertum habemus.

Seminariorum verò Rectoribus districtè mandamus, ut non progressui modo in litteris, sed potissimum bonis Clericorum moribus invigilent, discolos coercendo, & si emendationis spes non appareat, expellendo; modicum enim fermenti, sæpè numero massam corrumpit: Ad Ecclesiam Cathedralem præstitutis diebus accedant; accedentes vero, & revertentes, bini incedant, incessu gravi, & ad modestiam composito.

CAP. DECIMUM TERTIUM.

De Sanctimonialibus.

I. BEne, ac sapienter à Prædecessoribus Nostris, tùm in Synodis, tùm alijs ab ipsis emissis Decretis cautum est, ut Monialium disciplina integrè, castèque servetur. Iis igitur, quæ jam statuta sunt, nonnulla visum est addere, quæ dicatas Deo Virgines in professione sua valeant fidelius conservare. Flos est ille Ecclesiastici germinis; illustrior portio gregis Nostri (*S. Cyprian. de Disciplina & babitu Virgin. c.* 2.) quarum quo sublimior gloria est, major & cura debet Nobis incumbere. Idcircò statuere quæ sequuntur, æquum duximus.

II. Sanctimonialibus itaque districtè prohibemus, (quod aliàs etiam fecimus) ne canes alere, & intra Monasterij septa retinere possint, sub pœnis à Nobis tunc impositis (*In Epistola data Ferrariæ* 22. *Julij* 1724.)

III. Mandamus insuper, ne pueros, aut puellas, etiam anno septimo nondum expleto, in Monasteria introducere audeant, quocumque prætextu, sub pœna violatæ Clausuræ (*Edicto* 2. *Novembr.* 1724.)

L 2 IV.

IV. Nemo, ſive Sæcularis, ſive Regularis, ad Monaſteria accedat ſine Noſtra, aut Vicarij Generalis licentia ſub pœna Carceris, & Exilij in caſu reincidentiæ, quam licentiam apud ſe ſemper habeat, quoties ad illa accedet; non vero alicui alij retinenda tradat, ne ipſi quidem Moniali, quam alloquturus petit.

V. Quoniam perfecta ſuarum Conſtitutionum obſervantia, ea res eſt, in qua, & ex qua plenam pacem in Terris ſanctimoniales invenient, ſummamque fœlicitatem in Cœlis conſequentur cum Chriſto Domino earum Sponſo: propterea Virgines in Diœceſi Noſtra Deo dicatas, enixè hortamur Divi Pauli Verbis, ut ambulent dignè vocatione ſua, Deo per omnia placentes; in omni opere bono; creſcentes in ſcientia Dei; in omni virtute (*ad Theſſal. c. pr. n.* 11.) A ſæcularium conſuetudine abſtineant, ut Orationi, & pſalmodiæ religioſius vacent. Ea cœleſtis charitas in Clauſtris vigeat, quàm mutuò fovent in Cœlis Angeli, Charitas quæ non agat perperam, nec æmuletur, ſed ex amore profluat Divini Sponſi, apud quem perſonarum acceptio non eſt: privatis familiaritatibus omnino ſublatis, quæ perfectioni Religioſæ, & publicæ quieti, plus quam dici poſſit, adverſantur.

VI. Conſtanter edocuit experientia, rerum magiſtra, nocere plurimum perfectioni religioſæ conſuetudinem, ſeu abuſum, quo in aliquibus Monaſterijs, Moniales, quibus demandantur particularia Officia, adiguntur ſubire admodum grave, ipſiſque non tolerabile onus expenſarum. Quamobrem diſtrictè Monialibus in mentem redigimus obſervantiam eorum, quæ præſcripta ſunt in Epiſt. Encyclica Sacræ Congregationis ſuper Regularibus, edita de mandato ſpeciali Clementis XI. 28. Julij 1708; in Calce hujus Synodi apponenda; ubi officia Monaſterij exercenda eſſe præcipitur, non impenſis privatarum Monialium, ſed Communitatis eorundem Monaſteriorum. Quod ut exactè impleant, toto Paſtorali Zeli affectu adhortamur, ne particulares ære alieno ſe

gra-

gravent, ut *tandem proprietatis vitium ne dum a Monasterijs, sed multo magis a Monialium cordibus prorsus exulet*. Atque, ut ait Sanctissimus D. N. Benedictus XIII. in Conc. Rom. *Tit.* 21. *cap.* 3. *illa quàm maximè fieri poterit, in eis stabiliatur, serveturque rerum omnium communio, quæ nihil habet, & cui nihil deest*.

VIII. Pro moderandis alijs expensis, tùm in assumptione Religiosi habitus, tùm in solemnitate Professionis, tùm in celebratione Festorum, servetur laudabilis usus a Nobis introductus.

VIII. Puellæ ad Religiosum statum a Deo vocatæ, & ad Religiosum habitum admissæ, tanquam futuræ Christi Domini Sponsæ, tyrocinium suum in loco à cæteris Monialibus pœnitus diviso ponere debent, sub Magisterio, & disciplina Monialis Professæ, cujus prudentia & exemplo in sanctis moribus ritè instituantur (*ad formam litteræ Sac. Congr. & sub pœna in Visitatione statuta.*).

IX. Puellæ quæ in Asceterijs educandæ, & bonis moribus informandæ asservantur, modestis vestibus, & ornatu utantur in loco separato, tùm a Professis, tùm a Novitijs. Se abstineant Moniales a Consortio, & consuetudine Puellarum conviventium, quarum Christianæ institutioni destinari debet Magistra ad id muneris idonea (*Conc. Rom. sub Benedict. XIII. Tit.* 21. *c.* 4.)

X. Cum aliquam ex dictis Puellis nuptui tradere Parentes ejus meditantur, ex Monasterio in Paternam domum deducant, antequam sponsalia contrahantur, quæ in sacris Monasterij, seu Asceterij mœnibus, nullatenus contrahi debent. Rationem Nobis reddet superior sub pœnis arbitrio Nostro.

XI. Non accedant ad Ecclesias, vel Monasteria Monialium Cantores, & Musici, sub prætextu edocendi cantum, sive sonum. Cum expresse vetitum hoc sit, per Epistolam Sacræ Congregationis super Regularibus.

Nec inanis hæc cautio est, & vana formido, quæ ad salutis

lutis viam consulit, quæ Dominica, & vitalia præcepta custodit; liceat Nobis concludere cum Divo Cypriano loc. citato, ut quæ se Deo dicaverint, consumment opus suum, magno prœmio destinatum.

CAP. DECIMUM QUARTUM.

De Pijs Cœtibus, seu Sodalitatibus, & Confraternitatibus Laicorum.

Sodalitatum Confratres curent, ut cæteris Laicis exemplo sint ad piè, sanctèque vivendum. Ad sanctissima Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta frequenter accedant. In Officialibus eligendis non solum ab omni rixa, sed etiam ab omni humana affectione abstineant, eosque eligant, qui vitæ honestate cęteris præstent, ut Dei cultum in dies augere, & sodalitati esse ornamento possint. Sodalitatis, & Confratriæ suæ leges diligenter servent. Eleemosynas autem ne quæritent sine Nostra facultate. Ad publicas supplicationes societates omnes accedere teneantur, sub pœnis arbitrio Nostro infligendis; modestè, & ea qua par est, decentia, sodales bini incedant cum vestibus suis. Novæ sodalitates, aut Confratriæ, aut cætus, sine Nostra licentia, ne instituantur.

Sacerdotes in Oratorijs Confratrum, sive in alijs quibuscumque privatis Oratorijs celebrantes Concionem non habeant, sine Nostra licentia, aut Vicarij Nostri Generalis, gratis danda. Ubi verò jam vigeat pia consuetudo, Christianam Doctrinam, pueros, ac rudes edocendi, in quibusdam Oratorijs, hoc tam sanctum opus non prætermittatur.

CA-

CAP. DECIMUM QUINTUM.

De Tertiarijs, Sororibus Societatis S. Ursulæ, & pijs Puellarum Domibus.

MAndamus, ne qua Mulier habitum Religionis S. Francisci, S. Dominici, seu alterius cujusque Ordinis induat, nisi prius a Nobis obtenta facultate. Regulas suas studiosè observent, & ubi primum licuerit, cæteris se addentes, in communi vitam degant. Non solum sibi interdictum sciant, hac, atque illac in Urbe vagari, sed curare etiam debebunt, ut quantum fieri poterit, domi se contineant, neque exeant nisi associatę, ac justis, necessarijsque de causis. In sæcularium domibus ne sint frequentes, neque ibi ullo pacto pernoctare audeant; Sed si quod charitatis opus ad Laicorum domos accedere illas coegerit, citò se expediant, & ad propria revertantur.

CAP. DECIMUM SEXTUM.

De Puerorum Educatione.

CUm non Christiani solum Populi, sed rerum ipsarum publicarum status, Puerorum educatione contineantur; Pastoralis Nos sollicitudo vehementer urget, ut tantę rei quoad per Nos fieri potest, prospiciatur. Parentes igitur primum oramus, ut recogitent se pretiosum depositum servandum habere, quod de eorum manibus Deus severissimè repetet. Nulli igitur omnino curę, aut sollicitudini parcant, ut Filiorum suorum animas a vijs perditionis revocent.

Sed in primis monemus serio parentes, ne Infantes adhuc Lactentes in Lecto detineant, manifesto, ac frequenti oppressionis periculo, ne quam dederunt, adimant Filijs vitam,

tam, Parricidæ potius quàm Parentes. Nec minori cura ijsdem præcipimus, ut cum eorum Filij ad rationis usum pervenire incęperint, statim provideant Maribus lectum omnino distinctum, ac separatum a Fœminis. Malitia, quæ in corde Pueri est colligata (*Provęrb.* 22.) non rarò ætatem pręvenit, & rationem. Negligentes, & socordes, in hujus Nostri mandati prorsus necessaria executione, pro merito punientur pœna pecuniaria in Pauperes eroganda. Pastoribus autem Animarum injungimus, ut eos ad obedientiam hortentur, & inobedientes Nobis denuncient.

Præter parentes, potissima puerorum cura ad Ludimagistros pertinet: Mandamus igitur, ne quis onus hoc suscipere audeat, de cujus vitæ integritate, & morum innocentia Nobis, aut Vicario Nostro Generali prius non constet, coram quo fidei professionem emittere debebit. Suscepto munere, puerorum moribus invigilet; eos ab improborum consuetudine deterreat; malis moribus imbutos, qui corrigi se nolunt, ex aliorum cætu, & societate eijciat: inobscęnè loquentes severè animadvertat. Quoniam verò, ut est vetus proverbium a Poeta quoddam desumptum, segnius irritant animos demissa per aures, quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus; non solum curare Ludimagister debebit, ut pijs cohortationibus puerorum animos identidem inflammet ad pietatem, atque honestatem; sed etiam ut vitæ suæ exemplo instruat. Exigat etiam, ut frequenter ad Sancta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta accedant.

CAP. DECIMUM SEPTIMUM.

De Mulieribus in Ecclesia degentibus.

MEminerint Mulieres in Ecclesiam convenientes præceptum Apostoli, quo jubetur, ut velato sint capite propter Angelos, tùm eos corporis expertes, quos Sacrosancto

ſancto Miſſæ ſacrificio miniſtrare docent S. Patres, tùm eos præſertim, qui ob morum innocentiam Angeli vocari poſſunt, quique ex eorum aſpectu ſcandalum ſæpenumero patiuntur. Quod ſi caput, quod capillorum indumento ſua ſpontè natura texit, tamen operiendum eſſe clamat Apoſtolus; ſerio recogitent, quàm indecens, atque inhoneſtum eſſet, humerorum, ſinuumque nuditatem in Eccleſiam inferre, a qua etiam profani omnes ornatus, & veſtium vanitates prohibendæ eſſent. Parochis igitur mandamus, ut tanto crimini impediendo diligenter operam præſtent. Nec ſinant hujuſmodi Idola potius, quàm Chriſtianas Mulieres, ad Eccleſias accedere.

CAP. DECIMUM OCTAVUM.

De Domibus Hoſpitalibus.

NOn ſolùm Eccleſias, ſed Hoſpitales etiam Domos, Dei Domos optimo jure, ac meritò nuncupare poſſumus; in ijs enim pauperes ſuſcipiuntur, quos Chriſti perſonam gerere credimus ex ipſius Chriſti monitu. Itaque voluit Sacroſancta Tridentina Synodus, ut horum Domum redditus, aliaque bona, Sancta habeantur; (*Seſſ.* 22. *c.* 11. *de Refor.*) & anathemati tamdiù ſubjacere eos, qui illarum juriſdictiones, bona, res, jura, fructus, & redditus occupaverint, aut impedierint, aut in proprios uſus converterint, quamdiu res occupatas adminiſtratori integrè reſtituerint. Ex ejuſdem Concilij præcepto diſtrictè mandamus Hoſpitalium Adminiſtratoribus, Rectoribus, alijſque perſonis hujuſmodi, ut ea fideliter præſtent, quorum cauſa illa ſunt inſtituta; ut domos, ædificia, adjunctaſque Eccleſias ſarciant; (*Seſſ.* 7. *c.* 15 *de Ref.*) ut denique bonis omnibus, tùm mobilibus, tùm immobilibus curam diligentem adhibeant; & Nobis ſingulis annis adminiſtratarum rerum rationem reddant. Peregrini

benignè excipiantur, nihil ab eis exigendo, aut oblatum recipiendo; eorum verò nomina, cognomina, & Patria in libro ad hoc deſtinato ſcribantur: Viri, & fœminæ eodem in cubiculo pernoctare non permittantur, niſi eos Matrimonio junctos eſſe legitima atteſtatione conſtiterit.

CAP. DECIMUM NONUM.

De Monte Pietatis.

AD eximendos Chriſti Fideles ab Hebræorum uſuris, & fraudibus, Pietatis Montes erectos eſſe novimus. Iniquum propterea eſſet, ut Hebręi ipſi, commodi hujus participes eſſent, quod pro ſolis Chriſtifidelibus contra eorum injurias inſtitutum eſt. Vetamus igitur ſub ſeveriſſimis pœnis arbitrio Noſtro infligendis, ne Montis Pietatis Præſides pignora Hebræorum accipiant: Et quoniam fieri poſſet, ut ad res pignorandas uterentur Hebræi opera Chriſtianorum; qui operam hanc præſtare auſus fuerit, iiſdem a Nobis coercebitur pœnis.

Officiales præſtitutis horis ad ſuum Miniſterium expediti ſint; & in libros ad hoc deſtinatos pignora accepta, & erogatam pecuniam diligenter referant. Meminerint omnes Excommunicationis indictæ a Fel. Rec. Paulo V. Summo Pontifice, non ab alio quàm a Romano Pontifice tollendæ contra eos, qui pecunias ab ipſa Montis erectione conſtitutas, ſive pro ſorte, ſive pro ſortis augmento, diſtrahere, aut in propriam utilitatem, quocumque prætextu, convertere auſi fuerint. Pro pignoribus ne accipiantur res, quæ difficilè haſtæ ſubijci, & vendi poſſint: Præſtituto autem tempore decurſo, pignora vendantur, ſub præconis voce plus offerenti; Et ſi quid cogetur ſuprà id, quod pignoranti erogatum eſt, ipſi Pignoris Domino integrè reddatur.

CA-

CAPUT VIGESIMUM.

De Cura Miſerabilium Perſonarum.

QUantam Dei offenſionem incurrant ij, qui miſerabilium perſonarum curam non habent, ſatis oſtendit Chriſtus Jeſus, cum ſe ob hujuſmodi crimen, expreſsè in Judicio homines damnaturum eſſe dixit. Hortamur igitur, ac per Miſericordiæ viſcera divites oramus, ut eſurientes paſcant, nudos cooperiant, vinculis adſtrictos ſublevent, pupillis, & viduis ſuccurrant. Parochis verò præcipimus, ut prima die Novembris, ſubſcriptam ſchedulam pauperum ſuorum, Pupillorum, Orphanorum, & Viduarum ad Nos deferant; puellarum præſertim nobilium, & eorum qui incurabili morbo affecti ſunt. Si, ob alterius lecti inopiam, Mares ſimul cum Fœminis ultrà octennium in eodem lecto cubare noverint, quocumque ſint conſanguinitatis gradu conjuncti, Nos ſtatim certiores faciant, ut criminibus, quæ ex hac re oriri facile poſſent, citò occurratur.

CAPUT XXI.

De Judæis, & Judæorum conſuetudine.

DIgnitatis ſuæ memores Chriſtiani, & ſe filios liberæ eſſe, cum Ancillæ Filijs, conſuetudinem contrahere perhorreſcant. Pręcipimus igitur, ne quis vir, aut Mulier Chriſtiana famulatum Judęis præſtet: ne eos in ſuam domum recipere, neve ipſi eorum ſynagogas frequentare audeant. Judęi ad Sanctimonialium monaſteria nullo pacto, aut prætextu accedant; neque cum alijs Chriſtianis Mulieribus colloquturi, earum domos ingrediantur. In diebus, qui apud Nos feſti ſunt, ab omni ſervili opere publicè abſtineant. Contine-

tineant se Domi tribus diebus majoris hebdomadæ, quo tempore Christo Domino ab ipsis Cruci suffixo a Christiano Populo parentatur. Si quem Judęum cum Christianis præsertim rudibus de suis nostrisque ritibus, & lege, collucutum esse noverimus, intelligat, severissimis se pœnis a Nobis mulctatum iri.

Judęos deferre consuetum signum distinctæ sectæ omnino præcipimus, in Civitate, & extra, in Diœcesi Nostra, ubi moram traxerint: Neque illud deponere unquam audeant sine Nostra, aut Vicarij Nostri Generalis licentia in scriptis.

CAPUT XXII.

De Judęorum ad Fidem conversione.

DEum, quosdam ex Judaico Populo gratuita sua electione sibi servasse per Fidem in Christo Jesu salvandos, reliquis ob suam incredulitatem in cœcitate relictis, juxta Prophetarum vaticinia, (*ad Rom. cap.* 11.) manifestè ostendit Apostolus; & nos sæpe videmus, nonnullos ex Judęorum cætu ad Filij sui societatem vocari a Deo Misericordiarum Patre. Quoniam verò, ut ait idem Apostolus, (*ibidem c.* 10. 17.) Fides ex auditu est, ne tanto bono Judæi priventur, districtè mandamus ut die, & loco a Nobis deputatis, vel deputandis, ad audiendam concionem conveniant, juxta tenorem Constitutionis Gregorij XIII., cujus Constitutionis memores Judæi, & plurimorum privilegiorum, tùm quoad bona temporalia, tùm quoad Jura Civitatum in ea Neophitis concessorum, ne sinant se retineri, & revocari a Christiana Fide, inani fluxarum opum amittendi timore; Ii autem, qui Cathecumenorum Domui præsunt, humaniter excipiant, atque benignè, patienterque eos instruant, qui Christi vocem audientes, Boni Pastoris Ovili addere se desiderant. In sortem verò Sanctorum vocati, & baptizati Sectam suam odio persequantur, ejusque ritus, & inanes

nes, evacuataſque Cæremonias, nulla enim conventio eſſe debet lucis ad tenebras.

CAPUT XXIII.

De Uſuris, & Fœneratoribus.

CONtra uſuras, & illicitos contractus a Sacris Canonibus, & Summis Pontificibus Pio V., & Sixto V. ſatis proviſum eſſe cenſemus. Propterea breviter hortamur Parochos omnes, & Vicarios Foraneos, alioſque ad quos animarum Cura pertinet, ut probatos auctores diligenter evolventes, ſanam de Contractibus doctrinam ſibi exprimant, quam concredito ſibi Populo tradant, ad animarum detrimentum, quod plerumque ex contractibus provenire ſolet, avertendum. Confeſſarij verò, pœnitentes, negotiationibus, aut alijs hujuſmodi rebus implicitos diligenter interrogent, & ſerio moneant, a quibus ſe rebus abſtinere debeant, jubeantque eos, qui alios fraudarunt, aut fallacibus artibus, & uſuris damno affecerunt, illata damna reparare, & male partum reſtituere: quod efficere minimè poterunt, niſi Confeſſarij ipſi apprime calleant Sacros Canones, Pontificum Bullas, & probatorum Auctorum hac ſuper re ſententias.

Sed quoniam Avaritia, exitialis quædam Hydra eſt, ex qua novum ſemper aliquod venenatum caput progerminat: Laborandum idcirco nobis eſt, ut ab hoc tam pernicioſo monſtro Diœceſis Noſtra penitus liberetur.

Neminem eſſe in Clero Noſtro cenſemus, Eccleſiaſticę rei adeo ignarum, qui neſciat, prohibitam eſſe Clericis omnem negotiationem, quæ cauſa lucri fiat: uti habetur *Cap. Secundum*, Ne Clerici, vel Monachi.

Illicitum ergo eſt Clericis, ac propterea omnino vetitum, locationi accipere, ſeu conducere Agros alienos, quod communi vulgi Sermone dici ſolet, *prendere ad affitto per coltivare*,

re, villicum subinde agere; ad vilissima quæque munera se dimittere; cum magno Clericalis status dedecore; *ut jam penè nulla sit Sæculi actio, quam non Sacerdotes administrent*: quod de quibusdam sui temporis Clericis ingenti animi sui dolore ajebat S. Gregorius Magnus (*Homil.* 17. *in Evang.*)

Quamvis enim conducere Agros, ut fructus vendant, non sit fortè negotiatio propriè dicta; Id tamen Ecclesiasticis illicitum est, cum specialiter illis sit prohibitum in Concilio Carthaginensi, & Jure Cœsareo positivo, *L. Ultim. de Vita, & honest. Cleric.: Ut videre est apud Sporer, Tom.* 2. *tract.* 6. *c.* 7. *sect.* 2. *Card. de Lugo disp.* 26. *num.* 29. *La Croix lib.* 3. *part.* 2.

Nec eos a culpa relevat, quòd in tabulis publicis, sive instrumentis, aut privatis Paginis, nomen non exprimatur Clerici, sed Fratris sæcularis, aut Nepotis, vel alicujus Consanguinei, seu affinis: dum interim conductio hujuscemodi, facta revera est a Clerico. Dum homines fortè decipere ambiunt, se ipsos perdunt, nec Deum videntem omnia, & renes ac corda scrutantem, fallunt.

Lucrum, ex illicita negotiatione perceptum, injustum est: & grave onus secum trahit non evitabilis restitutionis.

Quod si negotia hæc in tenebris perambulantia ad lucem devenerint, Deo sic eludente pravos hominum conatus, & cogitationes reprobante: Noverint Clerici hac labe infecti, se daturos juxta præscriptum Sacrorum Canonum, & arbitrio Nostro, gravissimas pœnas.

Monemus præterea fideles omnes Nostrę Diœcesis, qui Contractus ineunt, aut negotiationem exercent, eosque adhortamur ex animo, ut doctos & peritos consulant Sacerdotes, aliosque sapientes in timore Domini, ne quod facilè fit, in usurariam labem incidant.

Contractus, pacta, conventiones, cæteraque omnia, quæ usuram quovis modo sapiant, adeo nulla, & irrita esse sciant, ut ne juramento quidem firmentur, & tàm ipsi fœnerantes,
quàm

quàm Notarij; Proxenetæ, lucri participes, & ministri tanti criminis, pœnis ac censuris a Sacris Canonibus, & Pontificijs Constitutionibus inflictis, etiam ex officio punientur.

Quantò esset salubrius, animæque, ac corpori utilius, fœnerari Domino: nempe Domino Fœneratur, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei: nam paululum (*Proverb.* 19.) quid danti pauperibus, Centuplum retribuet Dominus, ac præterea æternam vitam.

CAPUT XXIV.

De Notarijs, & Cancellarijs Curiæ Episcopalis.

NOtarij, & Cancellarij Curiæ Nostræ Episcopalis diligentes sint in asservandis Edictis, & Decretis a Nobis, vel Prędecessoribus Nostris emissis, vel quæ imposterum emittentur; Schedulas etiam, Scripturas, Chirographa, aliaque hujusmodi ad causas, tùm Ecclesiasticas, tùm civiles spectantia; eaque omnia servent certo quoddam ordine suis in locis distributa, ut facile, cum opus fuerit, reperiri possint. Cancellarius Causarum Civilium diligens sit in Causis expediendis, Pupillorum præsertim, & Viduarum; omnemque erga istiusmodi personas humanitatem, & Christianam charitatem exerceat. Cancellarius Criminalium Causarum curet, ne Rei, qui in Carceribus detinentur, gravius, quàm eorum crimina merentur, à Carcerum custodibus premantur. Quamobrem identidem Carceres visitabit, & reorum statum cognoscet. Crimina verò in Reorum Actis descripta, nulli omnino hominum revelabit, eorumque famæ, quantum fieri poterit, rationem habebit.

CA-

CAPUT XXV.

De Transgressoribus Synodi, & pœnis infligendis.

PAstoralis officij Nostri est, non solum quæ agenda sunt præscribere; sed etiam ut ea, quæ præscripta sunt, integrè serventur, magnopere providere. Volumus igitur, ijs omnibus, quæ ex Sacrorum Canonum, Summorum Pontificum, & Conciliorum mente a Nobis statuta sunt, obedientia præstetur, sub Pœnis a Pontificio jure stabilitis, & arbitrio Nostro. Quòd, si qua circa hasce Nostras Constitutiones ambiguitas suboriretur, Nobis earum interpretationem reservamus.

Hasce autem Constitutiones Nostras Sanctissimo Domini Nostri Jesu Christi in Terris Vicario, Romano Pontifici subijcimus, & Apostolicæ Sedi, quam unam veritatis Magistram esse profitemur; ut ejus Judicio, & auctoritate immutentur, corrigantur, & muniantur.

Lecta, & publicata fuerunt suprascripta Decreta ex Suggestu, alta, & intelligibili voce, de mandato Emi, & Rmi D. D. Thomæ S. R. E Cardinalis Rufi, Episcopi Prænestini, & hujus Ferrariensis Ecclesiæ Sanctæ Sedi Apostolicæ immediatè subiectæ Antistitis, & Civitatis, ac Comitatus Bononiensis de Latere Legati, per Perillustrem, & Adm. R. D. Hippolytum Graziadei, Decanum, & hujus Synodi Secretarium, ac Rev. Sacerdotem Carolum Portaferrari, Mansionarium, Lectorem, seù Coadiutorem, ambos ab Eminentia Sua deputatos, in duabus Sessionibus habitis in medio ipsius Ecclesiæ ex Edicto publicato pro Synodo convocanda, & celebranda, coràm eodem Emo D. Cardinali Episcopo Legato &c. præsentibus, adstantibus, audientibus, & intelligentibus Perillustribus, & Adm. R. R. D. D. Archipresaytero, Præposito, Archidiacono, Custode, Thesaurario, (Primiceriatu va-

vacante) cęterisq. Canonicis supradictæ Cathedralis Ecclesiæ, Parochis Secularibus, & Regularibus Civitatis, Plebanis, & aliarum parochialium, ac sinè Cura, Ecclesiarum Rectoribus, Curatis, Cappellanis, & alijs, tàm Civitatis, quàm Diœc. Sacerdotibus, & Clericis, Anno à Nativitate Dñi Nostri Jesu Christi Millesimo, Septingentesimo, Vigesimo sexto, indictione quarta, die verò vigesima nona, & trigesima Mensis Septembris, Tempore Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Benedicti, Divina Providentia, Papæ Decimi Tertij, anno ejus tertiò, præsentibus R.R. D.D. Galeatio Comite Estense Tassono, & Raynaldo Comite Bosio, ambobus Sacerdotibus Nobilibus hujus Civitatis, Testibus ad hoc spetialitèr electis, & adhibitis, ac notis &c.

Signi ✠ loco

Ego Carolus Quercius alterius Caroli natus, Civis, & Apostolica, Imperialiquè Auctoritatibus Notarius publicus Ferrariensis, ac Curiæ Episcopalis Cancellarius primarius, Synodiq: Diœcesanæ Notarius spetialitèr deputatus de antescriptis omnibus in eadem Synodo gestis à D.D. Promotoribus rogatus fui, eaque scripsi, subscripsi, Signoq: meo signavi requisitus &c.

F I N I S.



APPENDIX

AD

SYNODUM
FERRARIENSEM.

PRIMA APPENDICIS PARS

Ea complectens, quæ ad Cleri disciplinam spectant.

I.

EDITTO

Intorno alla vita, ed onestà degli Ecclesiastici di Roma, e specialmente, circa all'Abito, e Tonsura Chericale.

Cit. Tit. XVI. Cap. III.

***FABRIZIO**, per la misericordia di Dio, Vescovo di Porto, della S. R. C. Card. **PAULUCCI**, della Santità di Nostro Sig. Vicario Generale, &c.*



LA Santità di Nostro Signore, ben conoscendo, quanto quella stretta obbligazione, che hanno gli Ecclesiastici in ogni luogo, di dar buon' esempio, essenzialmente annessa al grado, singolarmente cresca in quegli Ecclesiastici, che dimorano in quest' Alma Città di Roma, e che per tal ragione dovrebbono essere il modello, e l' esemplare del restante Clero di tutto il Mondo Cristiano, giacchè, come scrive S Bernardo (a) *Clerum illum ordinatissimum esse decet, ex quo præcipuè in omnem Ecclesiam Cleri forma processit*; affinchè i divoti, e fedeli Forestieri, che quà vengono, e tal' uni da Paesi lontani, restino edificati: ci hà perciò comandato di dover pubblicare il presente Editto, e di strettamente procurarne l' osservanza.

Ad Tit. de Vita, & honestate Clericorum.

(a) *Lib. 4. de Considerat. c. 2.*

Inerendo dunque alla disposizione de' Sagri Canoni, e Costituzioni Appostoliche, ed alle Ordinazioni, altre volte pubblicate, tanto circa la decenza dell' abito, quanto circa la Tonsura Ecclesiastica, con la quale i Sacerdoti, i prossimi agli Ordini Sagri, ed i Cherici di prima Tonsura, particolarmente que', che godono Benefizj Ecclesiastici, benchè semplici, o che servono nelle Chiese, devono andare, e molto maggiormente presentarsi agli Altari, per celebrarvi, o farvi altre sagre funzioni con la dovuta modestia, ed edificazione; e ben considerando quanto la decenza, e mo-

e modeſtia dell' abito eſterno ſia valevole a dinotare l' interna oneſtà de' coſtumi: Primieramente col preſente Editto ſi rinovano gli altri ſopra tal materia pubblicati, ed in iſpezie a' 29. Giugno 1667. a' 10. Ottobre 1681. a' 20. Novembre 1691. a' 22. Novembre 1696. a' 31. Marzo 1699. ed a' 7. Decembre 1705. per ordine de' Sommi Pontefici Clemente IX., Innocenzo XI., Innocenzo XII., e di Clemente XI. di felice memoria, ed a quelli riferendoſi, e riſpettivamente ampliandoli, ordina, e comanda.

1. Che niun Sacerdote, od ordinato *in Sacris*, o Cherico Benefiziato, come ſopra, ancorchè il Benefizio ſia tenue, ſecondo la riſoluzione della Sagra Congregazione del Concilio a' 13. Settembre 1677. poſſa andare per la Città, dalla levata del Sole ſino a mezz' ora di notte, con abito, e veſte corta; ma ſia tenuto andare con abito lungo ſino al collo del piede, detto volgarmente abito talare, che ciaſcheduno de' ſuddetti devono avere; e ſe vi foſſe qualcheduno, che non l' aveſſe, ſe gli dà un meſe di tempo a provederſene: ed in oltre debba ſempre portare la Cherica, o ſia Corona, o Tonſura Chericale, della grandezza conveniente all' Ordine, e grado di ciaſcheduno, la quale però non ſia minore d' un teſtone, e ſia totalmente apparente, e così ſpeſſo rinovata, che ſi poſſa ben vedere.

2. Ordina parimente, e comanda, che niun Sacerdote, ed ordinato *in Sacris*, o ancora Cherico di prima Tonſura, come ſopra porti zazzera, o capigliatura, che copra la fronte, e le orecchie; e molto meno uſi perucca, ſotto pena in ciaſcheduno di detti caſi, e per qualſivoglia volta, che ſi traſgredirà, di dieci ſcudi, d' applicarſi ſubito ad opere, e Luoghi pij, e di altrettanti giorni di carcere; potendo inoltre eſſer certi que', che contraveranno, che la diſubbidienza ſarà loro di totale impedimento per conſeguire qualſivoglia Benefizio, o Offizio Eccleſiaſtico.

3. I Cherici poi di prima Tonſura, e que', che hanno Ordini minori, ancorchè non poſſeggano alcun Benefizio Eccleſiaſtico, non goderanno il privilegio del Foro, ſecondo la diſpoſizione del Sagro Concilio di Trento *ſeſſ.* 23. *cap.* 5. *de reform.*, ſe non vanno in Abito, e Tonſura Eccleſiaſtica, e non ſervono alle Chieſe, alle quali ſono aſcritti, ſecondo la dichiarazione della Congregazione deputata, approvata dal medeſimo Noſtro Signore, con aſſiſtere a' Divini Offizj, ed alle Sagre Funzioni ne' giorni ſolenni, particolarmente della Settimana Santa, nell' accompagnare il Santiſſimo Viatico, nella frequenza de' Sagramenti, e nell' eſercizio della Dottrina Criſtiana; maggiormente che nelle dette Funzioni eſerciteranno i loro Ordini; ed avvertano, che in ogni Chieſa Parrochiale ſi terrà nella Sagreſtia una nota di tutti i Cherici, aſcritti alla medeſima, ad effetto di oſſervare quegli, che mancheranno, i quali, non portando l' atteſtato del proprio Parroco intorno alla frequenza di detto ſervigio, non ſaranno promoſſi agli altri Ordini; anzi, dopo la prima monizione, da farſi loro dal detto Parroco, ſaranno denunziati dal medeſimo a Noi, o a Monſignor Vicegerente Noſtro, per procedere alle pene Canoniche, come più diffuſamente con Editto a parte s' incaricherà a ciaſchedun de' Curati.

4. Si permette nondimeno, che in occorrenza di far viaggio, o per altra giuſta, e legittima cauſa, da approvarſi da Noi, o da Monſignor Vice-

cege-

cegerente Noſtro, le ſuddette Veſti ſiano più corte, ma non meno, che non cuoprano il ginocchio, e che convengano alla modeſtia Eccleſiaſtica, e perciò non ſiano di altro colore, che nere, e non abbiano bottoni groſſi, ne ſaccoccie, nè camiſciola, ed, eccettuata la lunghezza, ſiano ſimili tanto nelle maniche, come in tutto il reſto, alle veſti talari: avvertendo, che in caſo di contravenzione, s' incorrerà nelle ſopradette pene, e nella perdita ancora di tali abiti.

5. Comanda parimente a tutti i Rettori, Sagreſtani, Cappellani, Cuſtodi, o altri, ſotto qualſivoglia nome deputati all' amminiſtrazione, cura, e ſovraintendenza di qualſivoglia Sagreſtia, tanto nelle Patriarcali, Baſiliche, Collegiate, Congregazioni, Oratorj, Cappelle, Oſpedali, ed altre Chieſe Secolari, quanto di qualſivoglia Chieſa Regolare, o in qualſiſia modo privilegiata, tanto dentro di Roma, come ne' Sobborghi, che non permettano ad alcun Sacerdote di celebrare nelle loro Chieſe, o Cappelle, ſenza la Cherica, o Tonſura Chericale, o ſenza l' abito decente, e talare: qual' abito il Sacerdote l' abbia indoſſo avanti l' ingreſſo della Chieſa, nè poſſa eſſergli preſtato, o veſtirſene dentro la Sagreſtia, o che il Sacerdote celebri con capigliatura finta, detta comunemente *Perucca*, overo con l' annello; anzi che nè tampoco permettano di celebrare a qualſiſia Sacerdote, in cui ſi riconoſce chiaramente, che porta Perucca, ancorchè la laſci in Sagreſtia, o prima d' entrare in eſſa, ſotto pena, tanto a' medeſimi Deputati, e Sagreſtani, come ſopra, quanto a' Sacerdoti, che celebrano, in qualſivoglia de' detti caſi, della ſoſpenſione *à Divinis*, da incorrerſi *ipſo facto*, ſenz' altra dichiarazione, per quindici giorni, riſervata a Noi; oltre alle altre di carcere, e pecuniarie, come ſopra eſpreſſe.

6. Inerendo la Santità di Noſtro Signore all' Editto, pubblicato di ordine della ſanta mem. d' Innocenzo XII. ſotto li 23. Decembre 1699. in occaſione dell' Anno Santo proſſimo paſſato, permette ſolamente a' Sacerdoti Pellegrini, particolarmente Oltramontani (durante il proſſimo Anno Santo) l' abito più corto, però decente, ed Eccleſiaſtico; e ſolo a queſti i Sagreſtani potranno preſtare una conveniente ſopraveſte per celebrare, ma non mai coll' abito corto facciano loro dir la Meſſa ſotto le ſuddette pene.

7. Che nel trattenerſi i Sacerdoti nelle Sagreſtie non conſumino il tempo in vani diſcorſi, ma ſtiano quieti, e modeſti, come porta il luogo dedicato al culto di Dio, ed al raccoglimento per la preparazione al ſanto Sagrifizio, e rendimento di grazie dopo di eſſo: nè vi facciano atto alcuno pregiudiziale alla mondezza, e decoro Eccleſiaſtico, ſotto le ſopradette pene di carcere, e pecuniarie, d' applicarſi, come ſopra, e da eſeguirſi tanto contro di que', che v' incorreranno, quanto contro de' Sagreſtani, che 'l permetteranno, o non vi porgeranno il dovuto rimedio. Dovranno inoltre gli ſteſſi Sagreſtani, o Deputati, o per ſe ſteſſi, o col mezzo di altri, attentamente invigilare, che da' Sacerdoti celebranti ſi pratichino con ogni divozione, riverenza, e diſtinzione tutte, e ſingole ceremonie, e riti, che ſi diſpongono nelle Rubriche del Meſſale Romano; e ſe tal' uno ardiſſe di celebrare ſenza la dovuta attenzione, e religioſità, e traſcuraſſe o per imperizia, o per troppa fretta, o per poca applicazione alcuna delle ceremonie, e riti, come ſopra, preſcritti, ordina, e comanda

Sua

Sua Santità, che questi non siano più ammessi alla celebrazione della santa Messa; e che i Sagrestani, e Deputati sopradetti siano tenuti denunziarli immediatamente a Noi, od a Monsignor Vicegerente nostro, per sospenderli dall'esercizio, e proporzionatamente punirli, sotto pena, in caso d'inosservanza, della privazione degli uffizj, e di scudi 25. moneta, ed altre anche maggiori, a nostro arbitrio. A quest' effetto, e sotto le stesse pene ordiniamo, che in ciascheduna Segrestia si tenga un'orologio da ruota, ò da polvere, per mezzo del quale possa il Sagrestano conoscere, se il Celebrante impiega nel Sagrifizio il tempo proporzionato, che non deve esser meno d'un terzo d'ora. Alle medesime pene soggiaceranno irremissibilmente i Sagrestani, e Deputati sopradetti, se permetteranno, che si celebri da qualsisia Sacerdote senza licenza nostra in iscritto, ò del nostro Monsignor Vicegerente, che si dà nella nostra Segretaria in tutto *gratis*; e le stesse pene incorerranno i Sacerdoti celebranti senza la detta licenza, la quale, quando sarà spirata, farà, che più non si ammettano à celebrare, sotto le stesse pene: e perciò dovranno i Sagristani, e Deputati suddetti notare in un foglio il giorno della data di tali licenze. Di più ordiniamo, che non si ammettano à celebrare Religiosi, che non hanno Convento in Roma, senza la suddetta nostra licenza; avvertendo in fine, che per celebrare nelle Chiese di Monache è necessaria licenza particolare, ch' esprima tal facoltà.

8. Inoltre ordina, e comanda à tutti i Superiori Regolari di qualsivoglia Ordine, e Instituto, che presiedono al governo de' Monasterj, Conventi, Congregazioni, Collegj, Case Regolari, ed Ospizj di quest' Alma Città, che con ogni maggior diligenza debbano procurare, che i Sacerdoti Regolari locali de' Monasterj, Conventi, Congregazioni, Collegj, Case, ed Ospizj, a' quali essi, come sopra, presiedono, restino pienamente istruiti da qualche Religioso di esperimentata abilità, da deputarsi à questo preciso effetto da' medesimi Superiori, nelle ceremonie, e riti della santa Messa, conforme alle disposizioni delle Rubriche, e che queste siano con ogni esattezza osservate, espressamente ordinando, che in avvenire non ammettano à celebrare la santa Messa i Sacerdoti forestieri del loro Ordine, ò Istituto, se questi non averanno prima provate le cerimonie, e i riti, che in essa si devono osservare, e dal sopradetto Religioso deputato siano stati ritrovati di quelli perfettamente istruiti, e pratici, sotto pena della privazione degli offizj, e della voce attiva, e passiva per dieci anni.

9. Per rimediare ancora all' abuso di celebrarsi le Messe in ore intempestive, comandiamo, che non possano queste incominciarsi prima di un terzo di ora avanti dell'aurora, e che in un terzo di ora dopo mezzo giorno debbano esser del tutto terminate, sotto le sopradette pene di carcere, e pecuniarie, da applicarsi come sopra, e da incorrersi irremissibilmente, tanto da' Sacerdoti celebranti, quanto da' Sagrestani, che lo permetteranno; non ostante qualsivoglia pretesa consuetudine in contrario, o privilegio, che non sia stato esibito nella nostra Segretaria, e riconosciuto, ed approvato da Noi.

10. Ed acciocchè i Laici abbiano occasione di prendere in tutto buon' esempio dagli Ecclesiastici, e si tolga ogni attacco di mormorazione, coman-

mandiamo, ſotto le ſopradette pene, ed altre a noſtro arbitrio, che nelle caſe fabbricate ad uſo di ſtanze de' Canonici, Parochi, ed altri Miniſtri delle Chieſe, non abitino Donne, ancorchè parenti in qualſivoglia grado de' medeſimi, ſe non per occaſione di qualche legittima, ed urgente cauſa, da approvarſi ſolamente da Noi, o dal Noſtro Monſignor Vicegerente.

11. I Sacerdoti non poſſano patrocinare, avvocare, difendere, nè fare alcun' atto nelle Cauſe, ſiano civili, o criminali, avanti i Tribunali laici, anche ſotto preteſto di mera carità, eccetto che nelle Cauſe da' Sagri Canoni permeſſe, ed allora debbaſi impetrare da Noi la licenza in iſcritto, da concederſi *gratis*, conſiderata la qualità della perſona, ſotto pena a' traſgreſſori di carcere, ed altre ad arbitrio.

12. Comandiamo inoltre, di ordine eſpreſſo della Santità Sua, a tutti i Sacerdoti, ed altri Eccleſiaſtici, anche non promoſſi a gli Ordini Sagri, di non giuocare, preciſamente alle carte, e di non portare Armi di ſorte alcuna, nè da fuoco, nè da punta, nè da taglio, nè in Roma, nè fuori, ancorchè ſotto preteſto di andare a caccia, ſenza noſtra licenza in iſcritto, o del Noſtro Monſignor Vicegerente; la quale, quando ſi giudicherà ragionevole da concederſi, ſi darà *gratis*, come ſopra; ſotto le ſopradette pene di carcere, e pecuniaria, e della perdita delle Armi.

13. Ammoniamo di più tutti i Superiori delle Chieſe Patriarcali, Baſiliche, Collegiate, Regolari, ed altre tutte, niuna eccettuata, ancorchè ſi pretendeſſero eſenti, ad invigilare per la puntuale oſſervanza di tutte, e ſingole coſe contenute nel preſente Editto, come ſpecialmente impoſte di ordine della Santità di Noſtro Signore, mentre, oltre alla eſecuzione delle pene comminate contro de' traſgreſſori, ſi procederà ancora all' interdetto di quelle Chieſe, ove ſi vedrà traſcurare, quanto da Noi quì eſpreſſamente ſi comanda.

14. Ordiniamo finalmente, che queſto Editto, acciocchè abbia la ſua piena eſecuzione, e non ſe ne poſſa allegare in alcun tempo ignoranza, debba tenerſi continuamente affiſſo nelle Sagreſtie di tutte le Chieſe, tanto Secolari, quanto Regolari, in luogo, ove poſſa da tutti vederſi, e leggerſi, ſotto pena della carcere a' Sagreſtani di dieci giorni; e che pubblicato, ed affiſſo ſecondo il ſolito, obblighi tutti, in eſſo compreſi, come ſe perſonalmente foſſe ſtato loro intimato. Dato in Roma, queſto dì 20. Decembre 1724.

F. Card. Vicario.

Nicol' Antonio Canonico Cuggiò
Segretario.

O II.

II.

EDITTO

Noi TOMMASO, del Titolo di Santa Maria in Transtevere, della Santa Romana Chiesa Prete Cardinale RUFFO, Vescovo di Ferrara, &c.

TUttoche l' esemplarità di questo Nostro Clero ci obblighi sempre più di rendere le grazie à Sua Divina Maestà, Promotrice di questo gran bene, pure per istabilire d' avvantaggio nel Cuor di esso le disposizioni de' Sacri Canoni, Concilj, e Sinodi de' Nostri Antecessori, come altresì per non trascurare le strette obbligazioni, che ci astringono d' invigilare a sradicare da questa Città, e Nostra Diocesi, tutte l' occasioni, possono produrre alcun scandalo, abbiamo creduto ordinare con questo Nostro Editto l' osservanza di quanto in esso si contiene.

I. Confirmando in primo luogo quanto abbiamo disposto con Nostra Lettera, posta in Stampa sotto il primo Luglio 1718. diretta agli Arcipreti di questa Nostra Diocesi, ordiniamo, che niun Parroco, Rettore, Vicario, ò Arciprete, debba ritenere in Casa sotto qualsivoglia pretesto alcuna Donna, che non sia in età avvanzata almeno di quarant' Anni, e che alla nota esemplarità de Costumi, s' avveri in essa l' aspetto Senile, e ciò con Nostra permissione, che si darà in Stampa *gratis*, dopo, che si sarà veduta, firmata da Noi, ò dal Nostro Vicario Generale, e se mai volessero tenere nelle Case della propria lor Cura, e Residenza, Madre, Sorelle, Nipoti Carnali, ò Cognata, col Marito, e Fratello respettivamente, non possino ne meno avere Serve giovani in Casa, col motivo, che queste siano destinate al serviggio delle medesime, per togliere al Popolo qualunque indiretta interpretazione, sotto pena, in qualunque d' essi Casi, della sospensione dall' esercizio della Cura per due Mesi la prima volta, ed anche della sospensione *à Divinis* ad arbitrio, per tutte l'altre volte, incorreranno.

II. Che per quei Cherici, ò Sacerdoti, quali per non staccarsi dalle Case Paterne, Materne, de' proprj Zij Carnali, Fratelli, ò Sorelle, sieno astretti di tolerare in esse qualche Serva giovane delle medesime, abbino obbligo li Parrochi della Città, e Diocesi d' invigilare se possa mai credersi alcun minimo sconcerto per l' inonestà d' esse Serve, o altro impulso a loro noto, con darcene subito avviso, per provvedervi sollecitamente.

III. Che niun Cherico, o Sacerdote tanto Diocesano, quanto Forastiere, di qualsivoglia grado, Dignità, e condizione si sia, abitando anche per causa de' Studj, o altro motivo in Ferrara, e Diocesi, possa sottoporsi ad' alcuna Dozzina in Casa di particolare, ove vi sia una, ò più Donne giovani, e non Sinodali, e molto meno, che in essa Casa vi stiano altre Donne per Carità, o che tenghino in affitto altre stanze dentro il recinto d' essa, sotto pena a qualunque trasgressore de' Casi medesimi,

di

di due Meſi di Carcere, per la prima volta, e della ſoſpenſione, ed' Eſilio per tutte l'altre volte incorreranno, e ſe mai alcuno d' eſſi Eccleſiaſtici anderà a Dozina, ove vi ſiano Donne Sinodali, debba ricorrere da Noi, con eſprimerci il Nome, & Età d' eſſe, per dargli la permiſſione *gratis*.

IV. Che niuno Cherico, o Sacerdote di qualſivoglia grado, Dignità, e condizione ſi ſia, tanto Dioceſano, quanto Foraſtiere in queſta Città, o Noſtra Dioceſi, poſſa tenere alcuna Serva, o altre Donne per titolo di Carità, o col motivo d' affittare a queſte, altre Stanze, alloraquando le medeſime Donne non abbino li requiſiti eſpreſſi in queſto noſtro Editto, con la noſtra permiſſione da darſi in Stampa *gratis*, ſotto l' iſteſſa pena di due Meſi di Carcere per la prima volta, della ſoſpenſione, ed' eſilio ad' arbitrio in tutte l'altre volte incorreranno, ſoggiacendo all' iſteſſiſsime pene, ſempreche eſſi Eccleſiaſtici, come ſopra, prenderanno in affitto alcuna Stanza, ò Appartamento, che ſia, nella di cui Caſa vi coabitino altre Donne non Sinodali, e ſenza la noſtra diviſata permiſſione.

Avverta ognuno a dar prove, non meno della dovuta obbedienza, che di quella modeſtia fin' ora moſtrataci, volendo, che queſto pubblicato, che ſia, ed affiſſo ne' ſoliti luochi, dopo quindici giorni dalla pubblicazione, obblighi alla piena oſſervanza, ſotto l'enunciate pene, ognuno de' Traſgreſſori.

Dato dal noſtro Palazzo Veſcovale queſto dì 14. Maggio 1720.

T. Card. Ruffo Veſcovo, &c.

Carlo Querci Notaro, e Cancell. Epiſcopale.

III.

RINOVAZIONE D' EDITTO.

TOMMASO, per la Divina Clemenza, del Titolo di Santa Maria in Tranſtevere, della S. R. C. Cardinale RUFFO, Veſcovo della Chieſa di Ferrara immediatamente ſoggetta alla Santa Sede Appoſtolica, e Legato a Latere della Città, e Contado di Bologna, &c.

PRemendoci l'eſatta oſſervanza dell' Editto pubblicato d' ordine noſtro ſino ſotto li 14. Maggio dell' Anno 1720. con iſtabilimento di ciò, che in vigore della diſpoſizione de' Sagri Canoni, Concilij, e Sinodi de noſtri Anteceſſori, deveſi pratticare dagli Eccleſiaſtici ſoggetti alla noſtra Paſtorale vigilanza, intorno alla retenzione delle Serve, & altre Donne nelle loro Caſe; Perciò, inerendo a quanto fù nel detto Editto, preſcritto, & ordinato, di nuovo ſtrettamente, & eſpreſſamente commandiamo.

I. Che niun Arciprete, Rettore, Vicario, o altro Curato poſſi ritene-

re in Casa sotto qualsivoglia pretesto, alcuna Donna, che non sia in età avvanzata almeno di quarant' Anni, e che alla nota esemplarità di Costumi s'avveri in essa l' aspetto Senile, e ciò con Nostra permissione, che si darà in Stampa *gratis*, dopo, che si sarà veduta firmata da Noi, o dal Nostro Vicario Generale, e se mai volessero tenere nelle Case della propria lor Cura, e Residenza, Madre, e Sorelle, Nipoti Carnali, o Cognata, col Marito, e Fratello respettivamente, non possino ne meno avere Serve giovani in Casa, col motivo, che queste siano destinate al serviggio delle medesime, per togliere al Popolo qualunque indiretta interpretazione, sotto pena, in qualunque d'essi Casi, della sospensione dall' esercizio della Cura per due Mesi la prima volta, ed anche della sospensione *à Divinis* ad arbitrio, per tutte l'altre volte incorreranno.

II. Che per quei Cherici, o Sacerdoti, quali per non staccarsi dalle Case Paterne, Materne, o de' proprj Zij Carnali, Fratelli, o Sorelle, sieno astretti di tolerare in esse qualche Serva giovane delle medesime, abbino obbligo li Parrochi delle Città, e Diocesi d'invigilare se possa mai credersi alcun minimo sconcerto per l'inonestà d'esse Serve, o altro impulso a loro noto, con darcene subito l' avviso, per provvedervi sollecitamente.

III. Che niun Cherico, o Sacerdote tanto Diocesano, quanto Forestiere, di qualsivoglia grado, Dignità, e condizione si sia, abitando anche per causa de' Studj, o altro motivo in Ferrara, e Diocesi, possa sottoporsi ad alcuna Dozina in Casa di Particolare, ove vi sia una, ò più Donne giovani, e non Sinodali, e molto meno, che in essa Casa vi stiano altre Donne per Carità, o che tenghino in affitto altre stanze dentro il recinto d' essa, sotto pena a qualunque trasgressore de' Casi medesimi di due Mesi di Carcere per la prima volta, e della Sospensione, ed Esilio per per tutte l' altre volte, incorreranno, e se mai alcuno d' essi Ecclesiastici anderà a Dozina, ove sieno Donne Sinodali, debba ricorrere da Noi, con esprimerci il Nome, & Età d'esse, per dargli la permissione *gratis*.

IV. Che niun Cherico, o Sacerdote di qualsivoglia grado, Dignità, e condizione si sia, tanto Diocesano, quanto Forestiere in questa Città, o Nostra Diocesi, possa tenere alcuna Serva, o altre Donne per titolo di Carità, ò col motivo d'affittare a queste altre Stanze, alloraquando le medesime Donne non abbino li requisiti espressi in questo nostro Editto, con la nostra permissione da darsi in Stampa *gratis*, sotto l' istessa pena di due Mesi di Carcere per la prima volta, della Sospensione, ed Esilio ad'arbitrio in tutte l' altre volte incorreranno, soggiacendo all'istessissime pene, sempreche essi Ecclesiastici, come sopra, prenderanno in affitto alcuna Stanza, ò Appartamento, che sia, nella cui Casa vi coabitino altre Donne non Sinodali, e senza la nostra divisata permissione.

Avverta ognuno a dare nuove sicurezze non meno della dovuta obbedienza, che di quella modestia fin' ora mostrataci, volendo, che questo pubblicato, ed affisso ne' soliti luochi, dopo quindici giorni della pubblicazione, obblighi alla piena osservanza, sotto l'enunciate pene, ognuno de Trasgressori.

Dat. in Bologna dal Palazzo Appostolico questo dì 8. Settembre 1725.

T. Card. Ruffo Vescovo, Legato &c.

Carlo Querci Not., e Cancell. Episcop.

IV.

I V.

E P I S T O L A

Eminentiſſimi Paulutij de mandato Sanctiſſimi.

Eminentiſſimo, e Reverendiſſimo Signor mio Oſſervandiſſimo.

E' Mente eſpreſſa della Santità di Noſtro Signore, che tutti gli Eccleſiaſtici Secolari di tutto lo Stato Pontificio ſi aſtengano onninamente da i Giuochi de' Lotti, volgarmente detti, di Genova, Milano, Venezia, e Napoli. Si compiacerà per tanto V. E. di far pubblicare in codeſta Città, e Dioceſi, un Editto, col quale a nome di Sua Beatitudine proibiſca a gli Eccleſiaſtici ſuddetti di giuocare a i medeſimi Lotti, ſotto pena pecuniaria, e di carcere, & in ſuſſidio, di Scomunica, e ſoſpenſione a ſuo arbitrio; Glielo ſignifico in eſecuzione de' Supremi comandi di Sua Santità, a quali reſtarà ſervita conformarſi, e le bacio divotamente le mani. Roma 29. Settembre 1725.

Di V. E.

P. L. Antonius di Lariſſa Segret.
Ferrara al Sig. Card. Veſc.

Umiliſſimo, e Divotiſſimo Servidore
F. Card. Paulucci.

Foris

All' Emo, e Rmo Sig. mio Oſſervandiſſimo
Ruffo Veſcovo di

Ferrara.

V.

V.

EDITTO

Per li RR. Curati, affinchè facciano l'Istruzione al Popolo *inter Missarum Solemnia.*

***FABRIZIO**, per la Misericordia di Dio, Vescovo di Porto, della Santa Romana Chiesa Card. Paolucci, della Santità di Nostro Signore Vicario Generale, &c.*

ESsendo obbligati tutti quelli, che hanno Cura d'Anime per precetto Divino, dichiarato dal Sagro Concilio di Trento *sess.* 23. *cap.* 1. *de reformat.*, di pascer l'Anime alla loro Cura commesse, non solo coll' amministrazione de' Santi Sagramenti, mà anche colla predicazione della Divina parola: *Verbi Divini prædicatione pascere*: Il detto Sagro Concilio in più luoghi ordina a tutti li suddetti Curati, con parole, e termini precettivi, non istruttivi, nè oratorij, servendosi delle parole, *mandat, & præcipit*, che per se stessi, o per altri Ministri idonei (se saranno legittimamente impediti) debbano in tutte le Domeniche, & altre Feste solenni, dopo letto l' Evangelo nella Messa Parrochiale, istruire con brevità, e facilità di parole, con uno stile piano, & intelligibile, li Fedeli, circa le Virtù, che devono pratticare, e li Vizij, che devono fuggire, overo spiegarli qualche passo dell' Epistola, o dell' Evangelo, che si leggono in quel giorno nella Santa Messa, con dichiararli anche quali siano, e da che provengano li preziosi, e celesti effetti del Santissimo Sagrifizio della Messa, ò finalmente, lasciando le questioni inutili, spiegarli la Divina Scrittura, e tutto quello, che spetta per conseguire l' Eterna Salute, procurando d' inferire le verità della Divina Legge nel cuore degli Uditori, affinche ne siano pienamente istruiti; e benche in Roma non sia totalmente trascurato il detto precetto, anzi da alcuni Parrochi esattamente osservato; La Santità di Nostro Signore inerendo alla detta disposizione, ordina, & espressamente comanda a tutti, & a ciascheduno de' Curati del Clero Secolare, e Regolare, perpetui, o ammovibili di quest' Alma Città, d' adempire pontualmente quanto vien' ordinato circa questo particolare dal Sagro Concilio di Trento; Nelle Basiliche però, e Chiese Collegiate, come anche nelle Chiese tanto Secolari, che Regolari, nelle quali vi è l' Officiatura del Coro, procurino, che l' istruzione al Popolo non sia d' impedimento alli Divini Offizj, mà si faccia prima di essi, o in qualche Cappella molto separata, in modo che una funzione non disturbi in qualsivoglia modo l' altra.

Avvertano in oltre li R.R. Curati, che non adempiscono il detto precetto, col fare solo la Dottrina Cristiana le feste, perche il Sagro Concilio distingue un' obbligo dall' altro, per causa, che la detta Istruzione è indirizzata alli Adulti, e la Dottrina regolarmente alli Fanciulli, come chiaramente si legge nell' istesso Sagro Concilio, il quale nella *sess.* 5. *cap.* 2. *de reformat.*, *sess.* 22. *cap.* 8. *de Sacrificio Missæ*, e parimente nel seguente

guente Decreto *de evitan.*, e nella *ſeſſ.* 24. *cap.* 7. *de reformat.* gl' ingiunge eſpreſſamente di far la Predica, cioè la detta Iſtruzione al Popolo, e nella *ſeſſ.* 24 *cap.* 4. *de reform.* gl'ordina, che facciano la Dottrina Criſtiana alli Fanciulli.

E perche le parole del proprio Paſtore hanno un iſpecial efficacia; Il Sagro Concilio di Trento nel ſuddetto Decreto *de evitand. &c.*, e nell' accennato *cap.* 4. della *ſeſſ.* 24. vuole, che s'ammoniſca il Popolo, cioè *teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commodè fieri poteſt ad audiendum verbum Dei*; La Santità di Noſtro Signore inerendo parimente alla detta diſpoſizione eſorta tutti i Fedeli ad udire l' Iſtruzione Parrochiale, e per maggiormente eccitarli, concede cento giorni d' Indulgenza, non ſolo al Curato, mà anche a quelli, che v'interveranno, il che dovrà notificarſi da ciaſchedun Paroceo nella propria Parrochia.

Per adeſſo Sua Santità non vi mette pena alcuna, ma ſolo ricorda alli RR. Curati il dett' obbligo, che ſe poi ſaranno traſcurati in adempirlo (il che ſi riconoſcerà dalli Viſitatori, che a queſt' effetto ſi mandaranno) oltre il conto ſtrettiſſimo, che ne dovranno dare al Tribunale di Dio, ſi procederà anche contro di loro a tutte le pene preſcritte dall'iſteſſo Sagro Concilio ne' luoghi citati, fin anche alle Cenſure, ſe ſi ſtimeranno neceſſarie.

Dato in Roma dalla noſtra ſolita Reſidenza queſto dì 26. Settembre 1724.

F. Card. Vicario.

N. A. Cuggiò Segretario.

TOMMASO, per la Divina Clemenza del Titolo di Santa Maria in Transtevere, della S. R. C. Prete Cardinale RUFFO, Veſcovo di Ferrara, e della Città, e Contado di Bologna Legato a Latere &c.

DEſiderando Noi, che a ſeconda delle ſuddette Zelantiſſime Diſpoſizioni, pubblicate in Roma d'ordine di Noſtro Signore regnante, venghino le medeſime adempiute anche in queſta Città, è noſtra Dioceſi, per benefizio delle Anime alla noſtra Paſtorale Cura commeſſe, ordiniamo a tutti, e ſingoli Curati del Clero Secolare, e Regolare in queſta ſteſſa Città, e noſtra Dioceſi, che per l' avvenire oſſervino quanto viene ordinato in detto Editto, non volendo, che in modo alcuno traſcurino il loro obbligo, ſotto le pene contenute nell' Editto medeſimo.

Dat. in Ferrara dal noſtro Veſcovale Palazzo 31. Ottobre 1724.

T. Card. Ruffo Veſcovo, e Legato &c.

Carlo Querci Not., e Cancell. Epiſcop.

VI.

V I.

EX DECRETO SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS

11. *Augusti* 1691.

OFficia Sanctorum ratione Corporis, seù insignis Reliquiæ recitanda, intelligi debere, de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano descriptis, & dummodò constet de identitate Corporis, seù Reliquiæ insignis ejusdemet Sancti, qui reperitur in dicto Martyrologio descriptus; De cęteris autem Sanctis in eo non descriptis, aut quibus à Sancta Sede non fuerit specialiter concessum, Officia recitari, & Missas celebrari vetuerunt, non obstante quod ipsorum Corpora, vel insignes Reliquiæ in Ecclesijs asserventur, quibus tamen ab Ordinarijs locorum approbatis, debitam Fidelium venerationem (proùt hactenus servatum est) exhibendam esse censuerunt, sed absque Officio, & Missa, sub pœnis de non satisfaciendo præcepto recitandi Officium, alijsque, in Constitutione S. Pij contentis.

VII.

VII.

CONSTITUTIO
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
BENEDICTI PAPÆ XIII.

Qua Locorum Ordinarijs norma præscribitur coercendi Clericos Beneficiatos, in habitu laicali incedentes, eosdemque Clericos teneri sub mortali ad restitutionem fructuum perceptorum, decernitur, & declaratur, cum alijs ordinationibus.

Cit. Tit. VI. Cap. II.

BENEDICTUS
EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

CATHOLICÆ Ecclesiæ regimini per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, nullo licèt meritorum Nostrorum suffragio, præsidentes, eò potissimum Apostolicæ vigilantiæ studia dirigenda esse arbitramur, ut qui in sortem Domini vocati sunt, Ecclesiasticæque Militiæ nomen dederunt, ubique irreprehensibiles inveniantur. Maximè siquidem ipsos decet vitam, moresque suos omnes ita componere, ut habitu, gestu, incessu, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant. Quocirca Clericos quoscumque, præsertim verò Beneficia Ecclesiastica obtinentes, teneri, Vestes honestas, & proprio congruentes Ordini, semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant, & si secus fecerint, etiam pœna privationis Beneficiorum plectendos esse, Sacræ Tridentinę Synodi Decretis, pluribus Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum sanctionibus, providè, atque salubriter cautum est.

Ad Tit. VI. De ætate, & qualitate præficiendorum.

Cum itaque, sicut non sine maximo animi Nostri mœrore, imò etiam horrore, percepimus, quorumdam Clericorum Beneficia Ecclesiastica obtinentium audacia, & temeritas hodie eò usque processerit, ut in dedecus Ordinis Clericalis, Sacrorum Canonum contemptum, magnamque Animarum suarum perniciem incedere in habitu laicali minimè vereantur; Nos gravissimo huic abusui, & Christifidelium offensioni pro Pastoralis officii debito, quantùm Nobis ex alto conceditur, opportunè consulere cupientes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardina-

Constitutionis dispositio contra Clericos beneficiatos, non incedentes in habitu, & tonsura Clericali.

P dina-

dinalium, & aliquot insuper dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, quos ad id specialiter deputavimus, consilio, ac etiam Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuò valitura Constitutione decernimus, statuimus, & mandamus; quòd Ordinarij locorum, ubi sita sunt Beneficia ejusmodi, Clericorum Vestes laicales deferentium impudentiam, canonicis remedijs omnino coerceant, & hunc in finem non modò possint, sed etiam debeant contra ipsos procedere per citationes, domi, dimissa copia, quatenus domicilium habeant in eorum respectivè Diœcesi: sin minùs, per citationes ad valvas: Jurisque ordine cæteroquin servato, sententiam declaratoriam privationis obtentorum Beneficiorum ipsos ferre, & pronunciare, ità tamen, ut eadem Beneficia juxta Constitutionem fel. record. Sixti V. Prædecessoris Nostris incipientem: *Cum Sacrosanctis*, Nostræ, ac Romani Pontificis pro tempore existentis collationi, provisioni, ac omnimodæ dispositioni reserventur, & reservata censeantur.

Pœna privationis beneficiorum, precedente monitione.

Præterea volumus, statuimus, & declaramus prædictis Clericis Beneficiatis in habitu laicali incedentibus minimè licere percipere, nec facere suos fructus, & proventus quoscumque suorum Beneficiorum cujuscumque generis, speciei, qualitatis, & valoris existant: quin etiam expressè decernimus, & sancimus ejusmodi Beneficiatos ex mero facto incessos in habitu laicali, quamvis nulla præcesserit Ordinariorum sententia declaratoria privationis Beneficiorum, quæ obtinent; imò etiamsi nulla citatio, monitio, vel alius judicialis actus in eos fuerit institutus, ipso jure amissionis, & privationis fructuum prædictorum pœnam incurrere, itaut illos nullo modo percipere, nec perceptos retinere, vel facere suos possint: sed ipsos absque ulla prorsùs diminutione ad commodum fabricæ Ecclesiarum, in quibus erecta sunt Beneficia, illico sub pœna lethalis culpę restituere teneantur; a qua quidem restitutionis obligatione a nemine, præterquam a Nobis, & a Romano Pontifice pro tempore existente (sublata cęteris omnibus, etiam Pœnitentiariæ Apostolicæ officio, & Majori Pœnitentiario condonandi facultate) eos absolvi, & liberari posse volumus, præcipimus, & mandamus.

Pœna amissionis fructuum, absque alia declaratione.

Sublata, etiã Pœnitẽtiariæ, facultate condonandi.

Decernentes easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, semper firma, & efficacia existere, ac fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter, & inconcussè observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quavis præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretũ irritans.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo: necnon Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, Statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis

Clausulæ derogatoriæ.

vis alia firmitate roboratis: privilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſcumque ſub quibuſvis tenoribus, & formis, & cum quibuſcumque etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs decretis etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam Conſiſtorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio facienda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, & occaſiones, ac alia etiam ſpeciali expreſſione digna præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, inſertis, ac ſervatis reſpectivè habentes, ac vice dumtaxat, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Mandatum de præſtanda fide præſentibus.

Ut autem præſentes Litteræ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegarè valeat, volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, affigi, & publicari; ſicque publicatas, & affixas, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent: utque ipſarum præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tàm in judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtræ voluntatis, ſanctionis, præcepti, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quinto, ſexto Non. Maij, Pontificatus Noſtri anno primo.

P. M. Card. Prodat. F. Card. Oliverius.

Viſa de Curia I. C. Archiepiſc. Amaſenus.

Loco ✠ Plumbi. L. Martinettus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

VIII.

CONSTITUTIO

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIII.

Qua ſan. mem. Gregorii Papæ XIV. Litteræ Apoſtolicæ, certa excipientes delicta, & caſus, in quibus Inquiſiti Laici, Eccleſiaſtica Immunitate gaudere non debent, confirmantur, declarantur, & ad alia etiam delicta, & caſus extenduntur, ac ampliantur: Necnon Curijs Eccleſiaſticis forma, in eorumdem Inquiſitorum extractione à locis immunibus obſervanda, præſcribitur, cum aliis ordinationibus, & clauſulis, ac derogationibus opportunis.

Cit. Tit. XXVIII. Cap. I.

BENEDICTUS

EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad Tit. De Iñunitate.

Præluſio, Pontificis mentem exprimens.

Gregorii XIV. ſēſus in lata ſua Conſtitutione, circa reos, ad loca iñunia confugientes.

Ex quo, divina diſponente clementia, ad ſupremum univerſi Chriſtiani populi regimen aſſumpti fuimus, conſiderantes, debitum, quo obſtringebamur, Eccleſiarum, ſacrorumque Locorum Immunitatem ſartam, tectam, inviolatamque ubique cuſtodiendi, inter graviores ſuſcepti Apoſtolici Miniſterii curas meritò recenſeri: diù, multùmque rationes, ac media Nobiſcum expendere non omiſimus, quibus ipſa Immunitas in priſtinum venerationis, & reverentiæ locum reſtitui poſſet, ac in omnibus Orbis Catholici regionibus ita obſervaretur, quemadmodùm priſca illa Majorum Noſtrorum diſciplina, & vetus Canonicarum Sanctionum norma præſcripſit. Dum hæc ſolicito animo revolveremus, in oculos primùm incurrit celebris illa Conſtitutio, à fel. record. Gregorio Papa XIV. Prædeceſſore Noſtro, edita, quæ incipit *Cum aliàs*: qua quidem Conſtitutione idem Gregorius Prædeceſſor pro Paſtorali zelo ſuo, hunc ipſum in ſcopum intendens, facultates, & indulta, à quibuſdam Romanis Pontificibus, ac præſertim à S. Pio V., & Sixto etiam V., Prędeceſſoribus itidem Noſtris, tunc ſuis, conceſſa aliquibus Principibus, eorumque Officialibus, & Magiſtratibus extrahendi, & abducendi ab Eccleſiis,

ſiis, aliiſque locis immunibus, certorum criminum reos, & delinquentes, reformavit, moderatuſque fuit: Simul autem delictorum frequentiæ, unde publica tranquillitas maximè perturbatur, occurrere volens, ac impedire, quantùm licebat, ne aliqua graviora à parvis hominibus patrarentur ſub certa impunitatis ſpe; quam ex confugio ad loca immunia ſibi parabant, nonnulla expreſſit, & explicavit crimina, & caſus, in quibus laicos delinquentes Eccleſiaſtica Immunitate nequaquam gaudere voluit, & decrevit, ac inſuper Judices conſtituit, qui in occurrentibus caſibus, an delictum eſſet, nec ne, in eadem Gregoriana Conſtitutione exceptum, cognoſcere, & declarare deberent; certamque demum formam in extractione prędictorum delinquentium à locis immunibus obſervandam ſtabilivit, & inviolabiliter ab omnibus perpetuò obſervari mandavit, quemadmodum in prædicta Conſtitutione, anno Incarnationis Dominicæ 1591. nono Kal. Junij promulgata, uberiùs continetur.

Controverſiis dilucidandis ſuper vera ipſius Cõſtitut. intelligentia, non una dicitur fuiſſe ſollicita Romanorũ Pontificum cura.

Quoniam verò, poſt editam hujuſmodi Conſtitutionem, ob varias Doctorum, eam interpretantium, ſententias, & variam itidem Curiarum Eccleſiaſticarum in illius executione praxim, multiplices contentiones ſuper vero, rectoque ejus ſenſu inter Eccleſiaſtica, & Secularia Tribunalia exortæ fuerunt; quamplures Romani Pontifices, ac præſertim piæ mem. Clemens IX., Clemens X., & Clemens XI. Prædeceſſores ſimiliter Noſtri, de præfatis contentionibus dilucida caſuum exceptorum explicatione ſubmovendis, non ſemel, ſicut accepimus, deliberarunt, faciliorемque inſuper eos probandi, & declarandi methodum, ut ejuſdem Gregorii Prædeceſſoris mens plenius executioni demandaretur, Curiis Eccleſiaſticis præſcribere cogitabant; ſed ab aliis diſtracti curis, ac interim morte præventi, deſtinata perficere nequiverunt. Hinc igitur eſt, quòd Nos, omnino expedire arbitrantes, ut ejuſmodi controverſiis finis aliquando imponatur, eorumdemque Prædeceſſorum pio, atque ſalubri propoſito inhærentes, Motu proprio, ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac Noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, in primis providam memorati Gregorii Prædeceſſoris Conſtitutionem cum omnibus, & ſingulis, in ea contentis, atque diſpoſitis, ampliſſimè confirmamus, approbamus, & innovamus, & quatenus opus ſit, criminum in illa exceptorum, reis, & delinquentibus, Immunitatem Eccleſiaſticam ſuffragari nequaquam debere iterum, ac de novo decernimus, & declaramus. Præterea non abſque gravi animi Noſtri dolore animadvertentes, ob auctam, atque in dies invaleſcentem perverſorum hominum malitiam, ſæpe, ac ſæpiùs nonnulla alia gravia crimina perpetrari, quæ non minùs, quàm illa in Gregoriana Conſtitutione, ut præfertur, excepta, publicam quietem perturbant, proinde ad delinquentium audaciam, ac ejuſdem delictorum frequentiam, quantùm fieri poterit, coercendam, pro Apoſtolici muneris Noſtri debito, ea, quæ inferiùs explicabuntur, ſtatuenda cenſuimus.

Gregoriana nunc ipſa Conſtitutio, cum primis confirmatur.

Quiddã Gregorianæ Conſtitutionis caſus declaratur.

Cum itaque prædicta Gregoriana Conſtitutione cautum ſit, ut publicis latronibus, viarumque graſſatoribus, qui itinera frequentant, vel publicas ſtratas obſident, aut viatores ex inſidiis aggrediuntur, Immunitas Eccleſiaſtica minimè ſuffragetur; non levis autem inter Doctores enterſerit controverſia, an quis ex unico actu publicus latro, & graſſator dici poſſit,

vel

vel plures, ad id, actus requirantur: Nos, ejusmodi controversiam dirimere intendentes, unicam tantùm grassationem in via publica, aut vicinali admissam, sufficere ad hoc, ut quis publicus latro, & grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus, & declaramus.

Nova delicta recensẽtur, quæ Immunitatis beneficio non gaudere decernuntur.

Insuper ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, & pro exclusis, atque repulsis haberi volumus, nedum eos, qui homicidia, aut mutilationes membrorum in Ecclesiis, earumve Cœmeteriis committere audent, quemadmodùm in Gregoriana Constitutione sancitum est: verùm etiam eos, qui stantes in Ecclesia, vel Cœmeterio, interficiunt stantes extra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut ipsis membrum mutilant: necnon eos, qui stantes extra Ecclesiam, aut Cœmeterium, occidunt stantes intra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut ijs membrum mutilant: ac eos tandem, qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesia, aliove loco immuni violenter extrahunt, & abducunt: Declarantes in quatuor præmissis casibus ejusmodi Reos, non illius tantùm Ecclesiæ, quam violarunt, sed cujuscumque etiam alterius Ecclesiæ Immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere.

Ad hæc in crimine Assassinii non modò mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana Constitutione apertè excipiuntur, sed etiam mandantes, qui certum præmium, aut mercedem sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo Assassinium re ipsa patratum fuerit, ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuò haberi volumus, & mandamus.

Excludimus pariter, repellimus, atque privamus ejusdem Immunitatis privilegio interficientes proximum suum animo præmeditato, ac deliberato: Falsificantes Litteras Apostolicas: Ministros Montis Pietatis, vel alterius publici Telonii, aut Banci pro depositis Principis, privatarumque personarum destinati, furtum, aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariꝫ locus sit: Conflantes, adulterantes, vel tondentes quascumque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, quotiescumque in loco, aut Provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum, & commercium, vel ipsas monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas, scienter ita expendere, & erogare præsumentes, aut fraudis conscii, atque participes censeri possint: Illos demum, qui sub nomine Curiæ sese introducunt in alienas domos, animo ibidem perpetrandi rapinas, easque re ipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earumdem ædium, vel etiam extranei, quem ibi fortè reperiri contigerit, dummodò homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur.

Variæ in judiciis, circa rationẽ probandi, delictũ gaudeat necne Immunitate, opiniones referuntur.

Cæterùm, cum diuturna experientia compertum fuerit, Curias Ecclesiasticas in casibus, qui hactenus evenerunt, difficulter probare, & consequenter declarare potuisse delictum, pro quo quis ad Ecclesiam confugerat, fuisse comprehensum in numero exceptorum, propter variam earumdem Curiarum praxim, & varias pariter opiniones Doctorum, qui antedicti Gregorii Prædecessoris mentem, quoad normam, ab ipso præscriptam recipiendi probationes, & procedendi ad declarationem criminum exceptorum, interpretari voluerunt: statui-

ſtatuimus, præcipimus., & mandamus, nullam in hoc de cętero haberi rationem cujuſcumque interpretationis ejuſdem Gregorianæ Conſtitutionis, quæ à quocumque Doctore prodierit, neque praxis à quibuslibet Curiis, aut Tribunalibus invectæ, imò nec quarumcumque declarationum, quæ ab hujus Almæ Urbis noſtræ Tribunalibus, ſive etiam à Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Immunitati Eccleſiaſticæ Præpoſitorum, emanaverint, quatenùs præſenti Noſtræ Conſtitutioni adverſentur, ſed in occurrentibus caſibus normam hìc à Nobis præſcribendam inviolabiliter ab omnibus obſervari volumus, & ſancimus.

Omnibꝫ rejectis, nova ſervādaratio ſtatuitur.

Quotieſcumque igitur Curia Eccleſiaſtica à Curia ſæculari fuerit requiſita, ut Laicum aliquem delinquentem è loco immuni extrahi, ac illi conſignari faciat, eaque ſuper delicti excepti qualitate, ac perſonæ reitate ſubminiſtrata, vel acquiſita ſint indicia, quæ ad capturam decernendam ſufficere videantur, tunc Curia Eccleſiaſtica ad ejuſdem Delinquentis extractionem ab Eccleſia, aliiſve locis immunibus, ope, ac medio ſuorum Executorum, implorato etiam, quatenus opus ſit, brachii ſæcularis auxilio, & cum interventu perſonæ Eccleſiaſticæ, ab Epiſcopo deputandæ, procedere teneatur: extractumque ad ſuos carceres aſportari, ac ibi ſub tuta cuſtodia detineri curet, & faciat. Ubi verò ex proceſſu informativo deſuper conficiendo, conſtet de crimine excepto, ac inſuper adversùs eumdem Extractum talia reſultent indicia, ut crimen ab eo fuiſſe patratum moraliter credi poſſit (quæ quidem indicia juxta regulas juris vocantur ultra torturam) eo tandem caſu præfatum Extractum Miniſtris, & Officialibus Curiæ Sæcularis tradere, & conſignare poſſit, ac debeat, exacta tamen, receptaque priùs ab ipſis obligatione, in forma juris valida, reſtituendi Extractum Eccleſiæ, ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, Nobis, ac pro tempore exiſtenti Romano Pontifici reſervatæ, quatenus idem Extractus indicia, contra ipſum, acquiſita in ſuis defenſionibus purget, ac diluat. Quòd ſi ea minimè purgaverit, & verè delinquens repertus fuerit, Curiæ ſeculari in ipſum tali caſu, ut juris eſſe cenſuerit, agere, atque procedere liceat.

Privativè quoad Judices reliquos, ſivè Eccleſiaſticos, ſivè Laicos, an delicta de exceptis ſint, declarāda, Epiſcoporum tantummodò eſſe decernitur.

Præterea conſiderantes ſæpe dictum Gregorium Prædeceſſorem in ſua Conſtitutione, optimo quidem jure, ſanxiſſe, ut ſoli Epiſcopi, & non alii, Epiſcopis inferiores, etiamſi locorum Ordinarii ſint, aut nullius Diœceſis, aut Conſervatores à Sede Apoſtolica ſpecialiter, vel generaliter deputati, cognoſcere, & declarare valeant, an delicta, pro quibus Inquiſiti ad loca immunia confugerunt, & in eis ſe receperunt, ſint, necne de genere, ac numero exceptorum: Nos, providam ejuſmodi diſpoſitionem approbantes, & confirmantes, eique inhærentes, motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus, tenore præſentium, quibuſcumque Magiſtratibus, Officialibus, & Miniſtris Secularibus, necnon quibuſvis aliis perſonis cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtant, etiamſi Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis mundana dignitate, aut auctoritate præfulgeant, diſtrictè interdicimus, ac inhibemus, ne hujuſmodi cauſis, vel conficiendo proceſſus, vel Inquiſitos extrahendo à locis immunibus, vel declarando crimina, ab eis admiſſa, eſſe de exceptis in Gregoriana, aut in præſenti Noſtra Conſtitutione, ullo pacto ſeſe

inge-

ingerant, aut immiſceant. Quòd ſi secùs quidam attentare præſumpſerint, ex nunc omnia in contrarium præmiſſorum gerenda, irrita, & inania, nulliuſque roboris, vel momenti perpetuò fore, ipſoſque attentantes, in cenſuras, & alias pœnas à Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, adversùs eos, qui juriſdictionem Eccleſiaſticam quoquo modo lædunt, ac violant, inflictas, incurrere decernimus, & declaramus: volentes, intendentes, ac expreſsè mandantes, quòd omnimoda cognitio, atque judicium, de criminibus, in Gregoriana Conſtitutione exceptis, & à Nobis ſuperiùs explicatis, tum etiam de aliis, quæ in præſenti Noſtra Conſtitutione adjicienda, & ſimiliter excipienda duximus, quemadmodùm, ut præfertur, adjecimus, & excepimus, ad Epiſcopos tantùm, privativè quoad omnes alios, perpetuò ſpectet, atque ſpectare debeat; & donec ipſi in occurrentibus caſibus declaraverint delictum eſſe de exceptis, & cætera omnia à Nobis ſuperiùs conſtituta adimpleverint, Inquiſitos Eccleſiæ, vel alterius loci ſacri, ad quem confugerunt, immunitate gaudere tutò debere, ac in ea conſervandos, & manutenendos eſſe ſtatuimus, præcipimus, & mandamus.

Conſtitutionis hujus obſervantia Epiſcopis omnibus, Majorū zelo ipſis propoſito, demandatur.

Univerſos demum, & ſingulos Venerabiles Fratres Noſtros Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, quos hujus Noſtræ Conſtitutionis executores deputamus, in viſceribus Domini Noſtri Jeſu Chriſti hortamur, & paterna charitate admonemus, ut quanti momenti ſit hoc negotium, ſeriò cogitantes, in occurrentibus caſibus qualitatem teſtium, & probationum pondus, ſummo ſtudio, ac vigilantia ſcrutentur, omnemque fraudem, & dolum procul arceri ſatagant; quin etiam Sacerdotali pectore, quotieſcumque opus fuerit, iis omnibus obſiſtant, qui ejuſdem præſentis Conſtitutionis executionem, ac obſervantiam quomodocumque temerario auſu impedire præſumerent. In reliquis porrò caſibus tàm in hac Noſtra, quàm in Gregoriana Conſtitutione non exceptis, memores quàm acriter ſemper, & qua eximia, ac prorſus ſingulari animi fortitudine Majores Noſtri pro Eccleſiaſtica libertate, ac immunitate pugnaverint, nihil de illa imminui permittant, neque ſacris juribus labem ullam irrogari patiantur, ſed ea, pari ſanè zelo, atque conſtantia, tueri curent; ab omni tamen tumultu, ac perturbatione caventes, ne jactantiæ cauſa potiùs, quàm miſerationis, & juſtitiæ titulo, Eccleſiaſtica privilegia aſſerere velle videantur.

Decretū irritans.

Decernentes eaſdem præſentes Litteras, & in eis contenta quæcumque ſemper valida, firma, & efficacia exiſtere, ac fore, ſuoſque integros, atque plenarios effectus ubique ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari; ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quavis præeminentia, & poteſtate fungentes, ac functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non

Non obſtantibus quibuſcumque Cancellariæ Noſtræ Apoſtolicæ regulis, necnon quorumcumque Prædeceſſorum Noſtrorum Litteris Apoſtolicis, Privileggiis, Indultis, & Facultatibus, quibuſvis perſonis, etiam ſpeciali mentione dignis, & quavis quantumcumque ſublimi dignitate, & auctoritate fulgentibus, & ex quibuſvis etiam gravibus, ac urgentiſſimis cauſis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum, conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio facienda, aut aliqua alia exquiſitâ forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, & occaſiones, ac alia, etiam ſpeciali expreſſione digna, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, inſertis, ac ſervatis reſpectivè habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Contrariis derogatur.*

Ut autem præſentes Litteræ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, affigi, & publicari; ſicq; publicatas, & affixas, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent: utque ipſarum præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ, in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, munitis, eadem prorſus fides tàm in judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. *Tranſũptis credendum decernitur.*

Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc Noſtræ voluntatis, ſanctionis, declarationis, confirmationis, præcepti, decreti, mandati, prohibitionis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quinto, ſexto Idus Junii, Pontificatus Noſtri Anno ſecundo. *Decretũ pœnale.*

P. M. Card. Prodat. F. Card. Oliverius.

Viſa de Curia I. C. Archiepiſc. Amaſenus.

Loco ✠ Plumbi. L. Martinettus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

I X.

EDITTO

Sopra la riverenza, modeſtia, e divozione dovuta alle Chieſe.

TOMMASO, per la Divina Clemenza, del Titolo di S. Maria in Traſtevere, della S. R. C. Prete Cardinale RUFFO, Veſcovo della Chieſa di Ferrara immediatamente ſoggetta alla Santa Sede Appoſtolica, e della Città, e Contado di Bologna Legato à Latere, &c.

AVendo altre volte la Santità di Noſtro Signore Clemente XI. felicemente Regnante, coll' indefeſſa ſua vigilanza fatto incaricare à tutti gli Ordinarj d' Italia, che con ogni ſtudio, e diligenza procurino di porgere rimedio alle offeſe, che in varie guiſe ſi fanno al Signore IDDIO, particolarmente con lo ſcandalo, e col poco riſpetto, che ſi uſa nelle Chieſe, in cui unicamente debbe adorarſi il Rè de' Cieli, e dell' Univerſo, alla cui adorazione nè pure gli Angeli ſono ſufficienti di aſſiſtere degnamente.

Quindi volendo Noi ubbidire a gli Ordini, & alle giuſtiſſime premure di Sua Beatitudine, coll'adempiere inſieme l' obbligo ſtretto del noſtro Uffizio Paſtorale in queſta parte, proteſtiamo di voler impiegare ogn'opera, ed attenzione poſſibile, per reſtituire alla Caſa di Dio la riverenza, e riſpetto dovutole, ſingolarmente nel tempo, ch' egli ſtà eſpoſto alla pubblica venerazione. Perloche col tenore del preſente Editto eſortiamo nelle Viſcere del Signore, anzi con tutta l'autorità, che ei compete, ordiniamo a tutte, e ſingole perſone di queſta Città, e Dioceſi, di qualunque grado, ſtato, e condizione ſi ſiano, che per il tempo, che dimoreranno nelle Chieſe, ſi aſtengano affatto da contaminarle con cicalecci, amoreggiamenti, riſi, cenni, moteggiamenti, geſti indecenti, e diſcorſi, maſſimamente tra Uomini, e Donne, con volgere tallora, a cagione di tali diſtrazioni, anche le ſpalle al Rè dell' Univerſo. E ſe taluni in avvenire ardiranno di commettere alcuni de' mentovati eccеſſi, o degl' infraſcritti, ſoggiaceranno irremiſſibilmente a rigoroſe pene così corporali, come ſpirituali delle Cenſure, ſecondo la qualità dell' eccеſſo, con implorarſi da Noi anche l' ajuto di Braccio più potente, e ſi procederà contro di eſſi anche per via d' Inquiſizione, *& ex Offitio*. Ne dovrà alcuno luſingarſi, o preſumere di andare immune da ſimili caſtighi per li ſtrapazzi fatti a Dio nella ſua Reggia, e particolarmente allora quando ſi degna laſciarſi vedere Sacramentato, per invitare gli Aſtanti ad implorare il perdono delle loro colpe, e la Divina grazia, per diſtaccarſi da' vizj, ed iſchivare gl' inciampi, che ad ogni paſſo de' Viventi tendono li fieri nemici Demonio, Mondo, e Carne.

Perciò ſpetta all' integrità della riverenza, e del riſpetto dovuto alle Chieſe, che chi vorrà orare avanti il Venerabile, non mai dovrà porſi a ſede-

ſedere, ſe non quando ſarà coperto col Velo. E ſe alcuno per debolezza di forze, o per altra cagione neceſſaria, non potrà ſtare genufleſſo, o in piedi, ſi ritiri in ſito, in cui egli non veda il Venerabile, overo eſca a riposarſi altrove, ſino al ſegno della Benedizione.

Con egual riverenza, e con ogni poſſibile attenzione dovrà aſſiſterſi al Santo Sagrifizio della Meſſa, ſenza diſtrazioni di ſguardi curioſi, e ſuperflui, laſciandoſi per quel breve tempo l' uſar Tabacco, che cagionando ſtarnuti, ed eſpurghi di petto, e di narici, anche nell'atto dell'elevazione dell'Oſtia Sagratiſſima, cagiona altresì diſturbo, non meno a gli altri Aſtanti, che al Celebrante iſteſſo; diſordine da evitarſi con ogni ſtudio, in quei pochi momenti del Sagrifizio.

Quei, che ſi porteranno alla Chieſa per accompagnare le Proceſſioni, dovranno riflettere, che vanno per orare, e per implorare grazie, e miſericordia da Dio, non già per paſſeggiare, e per ritrovare compagno da diſcorſo, e molto peggio ſe per oſſervare oggetti dilettevoli, o gli più acconci, & adornati; E perciò nel progreſſo della Proceſſione, gli Uomini vadano ſeparati dalle Donne, e tutti con la dovuta compoſizione di corpo, e di ſpirito.

Avvertiamo intanto tutti li Confeſſori, incaricando ſtrettamente le loro Coſcienze d' imprimere nelle Anime de' loro Penitenti le Verità ſopradette, e d' interrogarli preciſamente, ſe ſon rei di alcuno de' ſuddetti abuſi, dubitandoſi, che molti inavvertentemente non ſe ne accuſino in Confeſſione.

Parimente i Predicatori eſclameranno di tempo in tempo ſopra gl' inconvenienti, ed il poco riſpetto, che ſi porta alle Chieſe, inculcando l' obbligo ſtrettiſſimo a' Fedeli di rimuovere ogni occaſione di diſonorarle, e alle Donne di abbandonar le pompe, ed i ſuperflui adornamenti, che ſono incentivi ad eſſe almeno di farle incorrere nel peccato di Vanità, ed induttivi a gl' Incauti di farli peccare con la curioſità, e co' deſiderj nocivi; molto più dovendo eſſe Donne aſtenerſi da certe mode troppo curioſe, quando ſi portano alle Chieſe per ricevere i Santiſſimi Sagramenti, ove conviene portarſi con umiltà, modeſtia, e ſimplicità di veſtire, ſe vogliono renderſi capaci del frutto Sagramentale, ed acquiſtar vigore contra le tentazioni, che impediſcono l' emenda de' loro falli.

Rammentiamo a ciaſcuno con tutta la cordialità del noſtro paterno affetto, che per gl' ingiurie fatte al Santuario, più che per ogni altro peccato, hanno provato gli Uomini lo ſdegno di Dio ſopra di eſſi, puniti con careſtie, guerre, mortalità, terremoti, e flagelli orribili, per farci conoſcere quanto ſiano odioſi al Signore, i profanatori del ſuo Sagro Tempio.

Per toglier via ogni diſturbo dalle Chieſe, ordiniamo, che i Mendici, e Queſtuanti debbano aſtenerſi di limoſinarvi, quando vi ſi celebrano le Meſſe, o altri Divini Uffizj, e molto più nelle ore dell' Eſpoſizione del Venerabile; ma potranno ſtar fuori della Porta delle Chieſe, chiedendo la carità con voce baſſa, e ſenza contraſti, o rumore con li Bacili, e Caſſette.

Deſideriamo, che ogni Patrizio, e Cittadino faccia leggere il preſente Editto alle ſue Congiunte, che ſeco convivono, acciochè conoſcano con

Q 2 l'oſ-

l'osservanza di esso, l'utilità delle Anime loro, ed insieme il vantaggio delle loro Famiglie, se saranno meno avide di comparir fastose alla presenza di Dio, facilitandosi con ciò la salute eterna, che a tutti ardentemente imploriamo dal Signore, e la quale vorressimo col nostro miglior esempio saper ad essi procurare.

Dat. dal nostro Palazzo Vescovale questo dì 11. Aprile 1723.

T. Card. Ruffo Vescovo, e Legato, &c.

Carlo Querci Notaro, e Cancelliere Episcopale.



SECUN:

SECUNDA APPENDICIS PARS,

Ea complectens, quae ad Sanctimonialium disciplinam spectant.

I.

Rev. Madre Abbadessa, o Priora delle Monache del Monistero N. N.

LE Vergini Claustrali null'altro affetto debbono nudrire, che quello, che più strettamente le unisce all'Agnello Immacolato, di cui sono consegrate Spose; Onde ci corre l'obbligo di distorle da tutto ciò, da che potessero esserne divertite. Perciò, essendo venuto a nostra notizia, che in qualche Monistero di Monache si nudriscano Cani, con qualche dannevole parzialità, per la quale restano alienate in parte dall'Amore, ed Unione dello stesso loro Sposo Celeste, proibiamo in avvenire la retenzione di quelli nelle Clausure; e se ve ne fossero, ordiniamo l'immediata loro espulsione, sotto pena, per la prima volta alle Disubbidienti di restar prive dell'accesso a Ruote, e Parlatorj per un mese, e per la seconda volta della privazione di Voce attiva, e passiva, per un'anno, e continuando tuttavia la trasgressione, d'esser private del Velo, e racchiuse in Cella, per il tempo a nostro arbitrio.

Dal nostro Vescoval Palazzo questo dì 22. Luglio 1724.

T. Card. Ruffo Vescovo, e Legato di Bologna.

Carlo Querci Not., e Cancelliere Episcopale.

II.

II.

TOMMASO, del Titolo di S. M. in Trastevere, della Santa Romana Chiesa Prete Card. RUFFO, Vescovo di Ferrara, e della Città, e Contado di Bologna Legato à Latere, &c.

COnsiderando Noi, quanto strettamente da' Sagri Canoni, Costituzioni Appostoliche, e Concilj, sia commessa, e commandata a' Vescovi la custodia della Clausura de' Monisterj delle Monache anche soggette a' Regolari; e sentendo con nostra pena sensibile l'abuso d'introdurvi Fanciulli, e Fanciulle per le Porte, o per le Rote; Ad effetto di togliere detto abuso in virtù delle suddette Sagre Costituzioni, e per l'esatta osservanza degli Ordini, e Sinodi de' Nostri Predecessori, ordiniamo, e commandiamo alle Madri Superiore, Abbadesse, Priore, Monache Professe, & altre persone, che per qualsivoglia causa legittimamente si trovassero in detti Monisterj, ancorchè governati da' Regolari, come sopra, che non ardiscano d'introdurre dentro la Clausura Fanciulli, o Fanciulle, ancorchè minori d'anni sette, e di qualsisia età, sotto pena di violata Clausura, che porta seco la Scommunica *ipso facto*, nella quale pure incorrerà qualunque persona, che cooperasse all'ingresso di qualsivoglia Fanciullo, o Fanciulla, come sopra; Ed acciò non si possi allegar ignoranza, vogliamo, che Copia del presente Ordine sia consegnata alla Madre Superiora di ciascun Monistero, da leggersi in Capitolo, presenti tutte le Monache, e che debba affigersi alla Porta interiore del Parlatorio.

Dat. dal Nostro Palazzo Vescovale questo dì 2. Novembre 1724.

T. Card. Ruffo Vescovo, Legato, &c.

Carlo Querci Notaro, e Cancelliere Episcopale.

III.

III.

LETTERA CIRCOLARE

Della Sagra Congregazione de' Veſcovi, e Regolari, con cui di ordine iſpeziale della ſan. mem. di CLEMENTE XI., s'ingiunge a tutti i Patriarchi, Arciveſcovi, Veſcovi, ed altri Ordinarj d'Italia, e delle Iſole adjacenti, ſiccome anche a tutti i Generali di qualunque Ordine Regolare, che han cura, e governo di Monache, la oſſervanza di quanto quì ſi preſcrive intorno agli Offizj, che dovranno eſercitarſi, non a ſpeſe delle Monache particolari, ma della Communità de' medeſimi Moniſterj.

Ad Tit. XXI. Cap. III.

LA Santità di Noſtro Signore, che con paterno amore, ed Appoſtolico zelo invigila inceſſantemente a togliere gli abuſi, e promuovere il bene ſpirituale di tutto il Criſtianeſimo, non laſcia di ſtender l'occhio della ſollecita ſua Paſtorale attenzione alla buona direzione delle Perſone Religioſe, e ſpezialmente delle Sagre Vergini, che con ragione ſi chiamano *Illuſtrior portio Gregis Chriſti*, ſperando da eſſa, non ſolo di conſeguire la loro ſantificazione, ma ancora di poter ottenere, per mezzo delle orazioni di queſte dilette Spoſe del Noſtro Signor Gesù Criſto, quando veramente attendano con tutto il loro ſpirito a quella religioſa perfezione, a cui ſi ſono conſagrate, ſpezialiſſimi ajuti dal medeſimo Signore nelle graviſſime, e pur troppo note calamità, che di preſente affliggono per ogni parte la Santa Chieſa; Che però, avendo inteſo da varie parti, che uno de' principali impedimenti al profitto ſpirituale delle medeſime Religioſe ne' Moniſterj dell' Italia, & Iſole adjacenti, proviene dalle ſpeſe, che ſono coſtrette di fare le Monache particolari in occaſione de' loro Offizj, derivando da ciò (oltre le veſſazioni importune, che ſi danno a' Padri, e Madri, & altri Parenti, quali talvolta non poſſono corriſpondere) neceſſariamente la diſtrazione dall'orazione, e culto di Dio, l'inoſſervanza delle Regole, l'attaccamento biaſimevole a' beni terreni, e talvolta anche con preggiudizio del Voto della ſanta povertà, le continue inquietudini, gli ſtenti, e le occaſioni di trattare con troppa libertà, e frequenza co' Secolari, con danno ſcambievole delle anime, ed inconvenienti anche più gravi, de' quali giungono frequenti, e quotidiani ricorſi alle orecchie de' Superiori Ordinarj, delle Sagre Congregazioni, e della ſteſſa Santità Sua; E volendo la Medeſima, che onninamente ſi ponga un' efficace rimedio a' ſuddetti diſordini, ſiccome ha comandato, che a quelli opportunamente ſi proveda, riſpetto a' Moniſterj di queſt' Alma Città di Roma, con diverſe ordinazioni, contenute in un' Editto ſopra di ciò pubblicato ſotto il dì 4. Giugno proſſimo paſſato, così per curare con egual rimedio l'iſteſſo graviſſimo male, anche negli altri Moniſterj d'Italia, e delle Iſole adjacenti, ha incaricato a me d'ingiugnere ſtrettamente in ſuo nome a V. S., e nell' iſteſſa maniera a tutti gli altri Ordinarj d'Italia, e dell' Iſole ſuddette, come parimente a' Superiori Generali delle Religioni, Preſidenti a' Moniſterj di Monache, che, fatti ben ponderare dalle Religioſe, *Ad Tit. De Regularib.*

giose, a lei sottoposte, i sopradetti disordini, e le pessime conseguenze, che da essi provengono, e quanto all'incontro sia per conferire alla loro religiosa quiete, & a liberarle da infiniti fastidj, rimorsi, e scrupoli, l'alienarsi affatto dal pensiere, e sollecitudine di ogni privato interesse temporale: Ella, seguendo l'esempio di quel, che si è fatto in Roma, incarichi sotto precetto formale di santa obbedienza, con riservare a se la facoltà di assolverne, ed in oltre sotto pena di privazione d'offizio, e della voce attiva, e passiva, ed altre a suo arbitrio, a tutte le Abbadesse, Superiore, Camerlenghe, Sagristane, Rotare, ed altre Monache Officiali, di tutti i Monisterj, che non facciano, ne permettano respettivamente, che da altre si faccia spesa alcuna, ancorche ne fosse data loro comodità da' Parenti, o da altre persone, duranti i loro offizj, nè meno quelli finiti, o prima di esercitarli, nè di dare cosa alcuna di qualsivoglia valore a titolo di celebrazione di feste, o di donativo, nè sotto qualunque altro titolo, che abbia causa, occasione, o dipendenza da' predetti offizj, non solo alle Superiore, Officiali, Monache, Novizze, ed altre, che dimorano nel Monistero rispettivamente (quali pure non dovranno riceverla,) ma nè anche a' loro Superiori, benchè Regolari, Confessori, Deputati, Fattori, ed altri Officiali del Monistero, anzi nemeno alla Chiesa, o alla Sagristia; ma qualsivoglia spesa da farsi negli esercizj di detti offizj, o per celebrare le loro festività, o per occasione delle medesime, quale dovrà sempre essere conveniente, e moderata, si faccia colle rendite del Monistero, senza contraere debito alcuno: al qual'effetto dovrà V.S. efficacemente ingiugnere, tanto alle Superiore, ed officiali, quanto a' Deputati, Sindici, ed Economi di ciaschedun Monistero, di procurare, che le suddette spese, come sopra, moderate, si stabiliscano dentro breve termine, co' modi, che stimeranno più proprj, e convenienti da approvarsi da Lei, secondo le rendite de' medesimi Monisterj. Intende oltre espressamente la Santità Sua, che la disposizione di quanto si contiene nella presente Lettera, sia universale, e comune a tutti i Monisterj di Monache, eziandio governati da' Regolari, e da qualunque altro Superiore, benchè privilegiato, e privilegiatissimo, e degno di special menzione, o in qualsivoglia altro modo esenti, o anche immediatamente soggetti alla Santa Sede, come parimente alle Case di Oblate, benche non abbiano Clausura, nè Voti solenni. Così dunque V.S. dovrà far' osservare con tutta diligenza, ed attenzione; E in caso, che, per conseguire pienamente l'effetto, che si desidera, quale sommamente preme alla Santità Sua, Ella abbia bisogno in qualche cosa degli Oracoli, ed Autorità della Santa Sede, non manchi di ricorrere alla Medesima, con certa fiducia di venire assistita con tutto quell'ajuto, e protezione, che si giudicherà espediente per ottenere onninamente il compimento di cosa sì necessaria alla quiete, e benefizio spirituale delle Religiose, e tanto importante al Serviggio del Signor Iddio, da cui le prego ogni maggior felicità, Roma 28. Luglio 1708.

G. Card. di Carpegna Prefetto.

Ferdinando Arcivescovo di Nicea Segretario.

TER-

TERTIA APPENDICIS PARS,

De obligationibus Regularium in ordine ad bonum Regimen Nostræ Diœcesis.

CONSTITUTIO

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIII.

Abbatibus Regularibus perpetuis, etiam solummodo ratione administrationis, injungens, atque præscribens, ut infra annum à die eorum electionis Episcopalem benedictionem suscipere teneantur: Cum aliis ordinationibus, & derogationibus opportunis.

Cit. Tit. IV. Cap. Unic.

BENEDICTUS

EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.



Ommissi Nobis cœlitus Apostolici Ministerii sollicitudo Nos admonet, ut omnium quidem Christifidelium paternam geramus curam; sed eorum præsertim, qui contemptis illecebris seculi sub suavi Religionis jugo divinis sese obsequiis manciparunt, prospero statui, salubrique directioni, quantum Nobis ab Alto conceditur, prospicere studeamus, & si quid in regulari disciplina inordinatum, & absonum, vel à sacrarum Legum sensu *Ad Tit. IV. Cap. Unic.*

R alio-

alienam inter eos irrepsisse constiterit, Pontificiæ providentiæ, & auctoritatis ope submovere, ac è medio tollere satagamus, quatenus ipsi vota sua Domino reddere in sanctitate, & justitia, ac in ea, quam elegerunt, tutioris vitæ ratione, amplioribus in dies proficere valeant incrementis.

Abbates Regulares perpetui in administratione infra annum ab electione benedicendi ab Episcopo Diœcesano.

Cùm itaque, sicut accepimus, Abbates Regulares perpetui, non quidem ratione tituli, quia ad triennium, vel sexennium, aut aliud limitatum tempus eliguntur, sed ratione administrationis, quia ab unius Monasterii regimine, expleto limitato tempore, transferuntur ad aliud, ab Episcopis, in quorum Diœcesibus sita sunt Monasteria, benedictionem obtinere, imò & petere negligant; Hinc est, quod Nos gravi ejusmodi abusui pro Pastoralis officii debito opportunè consulere, ac providere cupientes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & aliquot insuper Romanæ Curiæ Prælatorum super hoc à Nobis specialiter deputatorum consilio, suadentibus etiam Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis in præsenti Sacro Concilio congregatis; necnon Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione, Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac Nostra perpetuò valiiura Constitutione injungimus, præcipimus, & districtè mandamus omnibus, & singulis Abbatibus Regularibus, licèt perpetuis solummodo ratione administrationis, ut præfertur, qui Monasteriis cujuscumque Ordinis, Congregationis, ac Instituti de cætero præficientur, ut infra annum à die eorum electionis computandum, solemnem benedictionem ab Episcopis, in quorum Diœcesibus Monasteria consistunt, juxta Ritum in Pontificali Romano præscriptum, omnino suscipiant; vel saltem eam ter ab ipsis humiliter postulent, servata forma sancita in *cap. Statuimus de supplen. neglig. Prælator.* Quod si secus fecerint, ab Officio per annum sint ipso jure suspensi. Volumus tamen, & expressè declaramus, quòd ipsimet Abbates electi, durante præfato termino, ac interim omnia munia Abbatialia, liberè, ac licitè exercere possint, & valeant; Quòdque Abbas semel benedictus iterum benedictionem petere, vel obtinere non teneatur, tametsi ad gubernium diversorum Monasteriorum, aliarum etiam Diœcesium, translatus extiterit.

Qui privilegia obtinēt, ut à quocūq; Antistite benedicantur, eos, nōnisi à Diœcesano Episcopo, vel à Metropolitano debere benedici decernitur.

Quoniam verò nonnulli ex prædictis Abbatibus Regularibus, Apostolicis, ut asseritur, muniti sunt privileggiis, quibus ampla ipsis tribuitur facultas suscipiendi benedictionem à quocumque, quem maluerint, Catholico Antistite gratiam, & Communionem Sanctæ Sedis Apostolicæ habente; Nos justis, & rationalibus adducti rationibus, Motu, scientia, ac potestatis plenitudine, pariter, statuimus, atque decernimus, ut ejusmodi Abbates inposterum non à quocumque Antistite, sed à Diœcesano tantùm Episcopo, vel à Metropolitano, infra prædictum terminum, benedictionem omnino suscipere teneantur; Et quatenùs ille, quem Abbas elegerit, tertiò humiliter requisitus ipsi petitam benedictionem impertiri detrectet, aut negligat; tunc, & eo dumtaxat casu, eamdem benedictionem à quocumque Catholico Antistite Abbas liberè suscipere possit, & valeat, ac ita perpetuis futuris temporibus ubique servari volumus, & mandamus.

Cæterùm ejusmodi Indulta exemptiva ab obligatione suscipiendi benedictio-

dictionem à proprio Epiſcopo illis dumtaxat Abbatibus, quibus ab Apoſtolica Sede directè conceſſa fuerunt, juxta modum ſupra expreſſum, ſuffragentur: Reliquis autem Abbatibus, qui ea ex generali tantùm Privileggiorum aliis Ordinibus, Congregationibus, vel Inſtitutis conceſſorum communicatione ſibi competere prætendunt, minimè ſuffragari poſſe, nec debere, decernimus, & declaramus. *Quinā ab hujus Decreti obſervātia eximantur?*

Quò verò ad Abbates, quibus à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris indultum fuit, ut à ſuis Superioribus Regularibus, vel ab eorum Prælatis delegatis, benedictionem ſumere poſſint: vel etiam per ſpeciale Indultum Apoſtolicum conceſſum fuit, ut electi habeantur pro benedictis ab ipſo Summo Pontifice, nihil omnino innovandum eſſe ſancimus, & Apoſtolica, quibus gaudent, privileggia ubique inconcuſsè obſervari præcipimus, & mandamus. *Specialium Indultorū præſervatio.*

Univerſos demum Epiſcopos, atque etiam Archiepiſcopos, à quibus benedictio tribuenda erit, eorumque Officiales, Aſſiſtentes, & Miniſtros quoſcumque in Domino hortamur, ac admonemus, ut occaſione ſimilium benedictionum excutiant, ac prorsùs emundent manus ſuas ab omni munere; quin etiam prædictis Præſulibus ſub pœna Interdicti ab uſu Pontificalium per annum vetamus, ac inhibemus, ne tàm ante, quàm poſt eaſdem benedictiones, earumque intuitu, cujuſcumque generis, aut ſpeciei, etiam bellariorum, & comeſtibilium, munera, vel xenia, à quoquam recipere audeant; illiſque prętereà diſtrictè injungimus, ut ab omni abſtineant ſolemni pompa, quę ſumptus, quantumvis modicos, etiam prandii, ſecum ferat; Cùm ejuſmodi ſacræ functiones ab interna, ſolidaque potiùs Benedicentium, ac Benedicendorum religione, & pietate, quàm ab externa, & vana apparatus magnificentia debeant commendari. *Hortatio ad Epiſcopos, pro benedictionibus hujuſmodi requirendos.*

Decernentes præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque; etiam ex eo, quod prædicti, & alii quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, vel habere quomodolibet prætendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, Ordinis, Congregationis, ac Inſtituti exiſtant, ſeu aliàs ſpeciali nota digni, illis non conſenſerint, & ad ea vocati, citati, & auditi, ſeu cauſæ, propter quas præſentes emanarunt adductæ, & ſufficienter juſtificatæ non fuerint, ſive ex alia quacumque, quantumvis juſta, legitima, & privileggiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, ac enormiſſimæ læſionis, nullo umquam tempore impugnari, redargui, infringi, in controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci poſſe; Sed ſemper firma, & efficacia exiſtere, ac fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari; Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quavis præeminentia, dignitate, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi faculta- *Clauſulæ ſublatæ, cum Decreto irritāte.*

te,

te, ac auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum; & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Collegiorum, Ordinum, Congregationum, & Institutorum quorumlibet, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus: Privileggiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, quibuscumque Ordinibus, Congregationibus, ac Institutis prædictis, eorumque Monasteriis, & Abbatibus sub quibusvis tenoribus, & formis, & cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respectivè habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides præsentibus habenda. Ut autem præsentes Litteræ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla, ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: utque ipsarum præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tàm in judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Decretū cōtra temerātes. Nulli ego omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ voluntatis, sanctionis, præcepti, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quinto, pridie nonas Maji, Pontificatus Noſtri anno primo.

P. M. Card. Prodat. F. Card. Oliverius.

Viſa de Curia I. C. Archiepiſc. Amaſenus.

Loco ✠ Plumbi. L. Martinettus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

II.

CONSTITUTIO

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIII.

Qua decernitur, & mandatur, ut in Italia, eique adjacentibus Inſulis, Parochis, Defunctorum, qui in Eccleſis quorumcumque Regularium de cætero tumulabuntur, Quarta funeralis perſolvatur. Cum aliis ordinationibus, & derogationibus opportunis.

Cit. Tit. VIII. Cap. V.

BENEDICTUS

EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex æqui, bonique ſupremus Aſſertor, auctoritatem à Chriſto per Beatum Petrum, Apoſtolorum culmen, ſibi traditam intelligens, ut ex Agro Dominico pro temporum neceſſitate noxia evellat, & deſtruat, utiliaque plantet, ac ædificet, ea interdum, quæ à Prædeceſſoribus ſuis ob rationabiles, & juſtas cauſas olim ſancita fuerunt, ubi in grave aliorum præjudicium, & detrimentum *Ad Tit. VIII. De Off. Judic. Ordin.*

tum redundare cognoſcit, atque diſſidiis, & contentionibus fomentum præbere animadvertit, maximè inter Dei, & Eccleſiæ Miniſtros, quorum eſt evangelizare pacem, & quibus à Domino non aliud frequentiùs, neque enixiùs commendatur, quàm ut pacem, ac unitatem diligant, moderari, & immutare, aliaſque Paſtoralis Officii ſui partes deſuper interponere ſolet, prout, rerum, locorum, temporumque circumſtantiis maturè penſatis, diſcordiarum extinctioni, Eccleſiaſticorum Miniſtrorum quieti, fidelium Animarum ſaluti, divinoque cultui conſpicit ſalubriter expedire.

Conſtitutionis hujus moti va, lites, & cõtroverſiæ inter Parochos, & Regulares ſuper Quarta Funeraliũ.

